

DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER SECUNDUS.  
NOVA FRANCIA.

10

INTRODUCTIO.




Absolutis superiori libro majoribus minoribusque Insulis, quæ sinui illi  
 ingenti aut objacent aut injacent, ad Continentem nos converti-  
 mus, cuius descriptionem à septentrionali illius parte inchoabimus,  
 quæ plurimas regiones, amplissimasque provincias complectitur; pau-  
 cis exceptis, hætenus fere ignotas, aut leviter & juxta littora tan-  
 tum cognitatas: nam Hispaniã Novã, & provinciis quæ illam ad sinum Californiæ us-  
 que contingunt, exceptis, exigua tantum cæterarum quæ mediterraneæ sunt, notitia  
 ad nos pervenit; ideoque ignotiores leviter attingemus, in notioribus paulo diligentius  
 immorabimur. Neque tamen hujus partis descriptionem ab extremis illius finibus,  
 qui arcto ipsi subjacent, exordiemur, sed regionibus illis incultis (quæ glacie atque pe-  
 rennibus nivibus horrent, & non nisi obiter lustratæ sunt ab iis, qui per varios recessus,  
 sinus atque freta ad Tartariam & Sinarum regnum, aditum frustra hætenus quæsi-  
 runt,) prætermisissis, ab iis initium capiemus, quæ cultum aliquem humanum jam re-  
 ceperunt, & quinquagesimum quartum aut quintum septentrionalis altitudinis gra-  
 dum attingunt, & NOVÆ FRANCIAE nomine hodie appellantur: Non quod hæc re-  
 giones à Francis primum lustratæ aut inventæ fuerint, nam ante Britannorum &  
 Normannorum à Gallia navigationes ad has terras, magna pars oræ maritimæ à  
 Ioanne & Sebastiano Cabotis Venetis, Henrici VII Angl. Regis auspiciis, non  
 modo lustratæ, sed & delineatæ fuit, ut Tabulæ geographicæ ab iisdem editæ faciunt  
 fidem (quarum non pauca hodieque in Angliâ superant) in quibus hæc leguntur: Anno  
 Domini MDCCCXCVII Ioannes Cabotus Venetus & Sebastianus illius filius eam  
 terram fecerunt perviam, quam nullus prius adire ausus fuit, die XXIV Iulii circiter ho-  
 ram quintam bene mane. Hanc autem appellavit Terram primum visam, credo  
 quod ex mari in eam partem primum oculos injecerat: nam quæ ex adverso sita est In-  
 sula, eam appellavit Insulam Divi Ioannis, hac opinor ratione quod inventa fuit eo  
 die, qui sacer est S. Ioanni Baptistæ. Hujus incolæ pelles animalium, exuriasque fera-  
 rum pro indumentis habent, easque tanti faciunt, quanti nos vestes preciosissimas. Cum  
 bellum gerunt, utuntur arcu, sagittis, hastis, spiculis, clavis lignicis & fundis. Tellus  
 sterilis est, neque ullos fructus adfert, ex quo fit, ut ursis albo colore, & cervis inusi-  
 tate apud nos magnitudinis referta sit: piscibus abundat, iisque sane magnis, quales  
 sunt lupi marini & quos Salmones vulgus appellat; solæ autem reperiuntur tam lon-  
 gæ, ut ulnæ mensuram excedant. In primis autem magna copia eorum piscium, quos  
 vulgari sermone vocant Bacalaos. Gignuntur in ea Insula accipitres ita nigri, ut cor-  
 vorum similitudinem mirum in modum exprimant, perdices autem & aquilæ sunt  
 nigri coloris. Hæc ibi. Nec multo post Cabotos, anno nimirum MDCCXCVII Gaspar Cortes-  
 realis

realis Lusitanus easdem terras visitavit Regis Lusitania jussu, easque ulterius detexit. Verū tamen Novæ Franciæ nomen hisce regionibus impositum, quia Franci omnium primi in interiora penetrarunt, & coloniis aliquot auctoritate Regia deductis, occuparunt ut suam. Nova itaque Francia, ut plerisque Gallicis scriptoribus placet, intra quadragesimum & quinquagesimum quintum septentrionalis altitudinis gradus continetur; alii angustioribus limitibus includunt: quidam & ad sexagesimum gradum extendunt: Longitudo harum regionum versus occidentem incerta: quousque autem Franci navigationibus suis & itineribus terrestribus penetrarint, in sequentibus explicabitur. Descriptionem porro hujus continentis, ab Insula Terra Nova, ut jam vulgo appellatur, inchoabimus, quia illi prætenditur, atque aditum ad illam aperit.

## TERRA NOVA.

## CAP. I.

*Insule situs, cæli solique qualitates, animantes.*



INSULA Terra Nova ad arctum quidem angusto freto à Continente Septentrionalis Americæ dividitur, sinui sive mediterraneo mari, quod vulgo S. Laurentii vocant ad ortum objecta, inter quadragesimum sextum & quinquagesimum tertium latitudinis septentrionalis gradus: & si Gallicus scriptor anonymus apud Ramusium recte observavit, ad quadragesimum longitudinis occidentalis gradum; (mensura longitudinis ab Insulis promontorii viridis productâ) ita ut promontorium illius orientius, *Cap de Raz* vulgo, à Diepa Gallix urbe maritima septingentis & sexaginta leucis recta pene linea distet. Ad orientem & meridiem à vasto oceano septentrionali pulsatur.

De Cæli solique qualitatibus & conditione varii varia & diversa tradiderunt. *Stephanus Parmenius* Budæus, cum nobilissimo Equite Anglo *Humfredo Gilberti* ad hanc insulam profectus, in Epistola sua ad *Richardum Hackluytum* in hunc modum de illa scribit. Terra universa montana & sylvestris; arbores ut plurimum pinus, ex partim consenuere, partim nunc adolescunt; magna pars vetustate collapsa & aspectum terræ & iter euntium ita impedit, ut nusquam progredi liceat: Herbx omnes proceræ, sed raro à nostris diversæ. Natura videtur velle niti etiam ad generandum frumentum: inveni enim gramina & spicas in similitudinem secales; & facile cultura & satatione in usum humanum assuescieri posse videntur. Rubi in sylvis vel potius fraga arborestantia magna suavitate. Vrsi circa tuguria nonnumquam apparent & conficiuntur; sed albi sunt, ut mihi ex pellibus conjicere licuit, & minores quam nostri. Populus an ullus sit in hac regione, incertum est, nec ullum vidi qui testari posset. Et quis quæso posset, cum ad longum progredi non liceat? nec minus ignotum est, an aliquid metalli subsit montibus; causa eadem est, etsi ad spectus eorum mineras latentes præ se ferat. Nos Admiratio authores fuimus sylvas incendere quo ad inspiciendam regionem spatium pateret: nec displicebat illi consilium, si non magnum incommodum allaturum videretur. Confirmatum est enim ab idoneis hominibus, cum casu quopiam, in alia nescio qua statione, id accidisset, septennium totum pisces non comparuisse, exacerbata maris unda, ex terebinthina quæ conflantibus arboribus per rivulos diffluebat. Cælum hoc anni tempore (scribebat autem mense Augusto) ita fervidum est, ut nisi pisces, qui arescunt ad solem, assiduo invertantur, ab adustione defendi non possint. Hyeme quam frigidum sit, magnæ moles

moles glaciæ in medio mari nos docuerunt. Relatum est à comitibus, mense Majo „  
 sexdecim totos dies se inter tantam glaciem hæsisse, ut sexaginta orgyas altæ essent „  
 insulæ; quarum latera soli apposita quum liquecerent, libratione quadam totam „  
 molem ita inversam, ut quod ante pronum erat, supinum evaderet magno præsen- „  
 tium discrimine ut consentaneum est. Aër in terra mediocriter clarus est: ad orientem „  
 supra mare perpetuæ nebulæ; & in ipso mari circa Bancum (sic vocant locum ubi „  
 quadraginta leucis à terra fundus attingitur & pisces capi incipiunt) nullus ferme dies „  
 absque pluvia. Hæc ille. Verum *Richardus Whitburnus* Anglus, libello de hac insula „  
 edito, testatur: Aërem hujus insulæ saluberrimum esse, non modo æstivis mensibus,  
 10 sed etiam hybernis: solum fertile in imis convallibus & ad montium radices, ita ut  
 ætate sponte sua non modo lætissima gramina, sed & varias fruges progeneret, pisa  
 nimirum viridia & vicias, quæ magnitudine & salubritate cum Anglicanis certent:  
 fraga autem rubra atque alba, uvas crispas & consimiles frutices maxima copia nu-  
 triat; nec fructiferarum arborum inopem esse quum pira, cerasa & avellanæ multis  
 locis reperiantur. Herbarum insuper salubrium perfecundam esse, petroselini, ma-  
 joris minorisque acetosæ & similibus olerum. Florum item elegantissimorum fe-  
 racem, rosarum præsertim mira colorum vicissitudine & singulari odorum suavitate;  
 denique & medicinales herbas atque radices gignere experientia comprobatum;  
 quæ omnia perfœcundi & feracissimi soli indicia sunt. Frumentum ab illis qui hic hy-  
 20 bernarunt satum, non modo lætissime adolevit, sed & uberes fruges tulit. Inter syl-  
 vestria animalia, lepores, vulpeculæ, castores, ursi, lupi, sciuri ab ipso nominantur, &  
 similia ad usum & emolumentum hominum nata.

Maxima hic omnis generis avium abundantia, tam aquatiliū quam sylvicola-  
 rum; Anseres, anates & pinguini Europæis penitus ignoti (de quibus alibi dicemus)  
 columbæ, perdices, lusciniæ, majores minoresque accipitres, aliaque. Aquarum  
 dulcium scaturigines innumeræ: tota denique Insula multis annibus, torrentibus,  
 rivulis est interfecta, qui optimos pisces nutriunt, inter quos Salmones, anguillæ &  
 imprimis Trutæ excellunt: mare itidem quod circumluit mire piscosum: Sinus, por-  
 tus, stationesque optimos caneros, musculos & alios crustaceos & testaceos pisces  
 30 subministrant. Sylvestrium arborum magna varietas, celsissimæ piceæ, pinusque  
 betulæ, pluresque aliæ per immanes saltus & opacos lucos sparsæ; & ignium pabulo  
 & navibus, ædificiis, cæterisque humanis usibus idonea materies.

Hyberna frigora supra clymatis modum intensiora, duabus potissimum causis à  
 Withburno imputantur, immensis glaciæ molibus quæ ab Arcto in hæc littora hi-  
 bernis mensibus propelluntur; & sylvarum densitati, quæ solum non modo ita opa-  
 cant ut solis radii ad illud pertingere & reflecti haud quaquam possint, sed etiam  
 multos vapores & nebulas generant, quibus hæc insula supra modum obnoxia est:  
 atque hisce incommodis quum obviam iri posse existimet, si sylvæ cædantur & sola-  
 ribus radiis ad solum liber aditus aperiatur, vero consentanea videtur sentire. Sed  
 40 nec frigus omnibus annis æquale, nam qui anno cLo lxxi hic hybernarunt, te-  
 stantur se Octobri & Novembri & bona parte Decembris vix ullum frigus sensisse,  
 reliquis hybernis mensibus usque ad medium Martii modicum gelu; & ventos ab  
 occidentali plaga crebrius, rarius ab aquilonari spirantes observasse. Hæc Insula  
 ab Anglis, uti apparet, primum inventa; à Gallis è Britannia & Normannia anno  
 cLo lxxiv cæpit adiri, primum quidem ea parte, qua Austrum spectat, inter duo  
 promontoria *de Raz & Britonum*: mox etiam qua boream adspicit ultra promonto-  
 rium *de Bona vista* ad fretum usque quod vulgo *Golfo de Chateaux* appellant: Ori-  
 entale latus Lusitani primum, mox etiam cæteræ Europæ gentes frequentarunt.

Portus & stationes Insulæ omnibus nationibus æqualiter hætenus patuerunt, quæ  
 50 statis anni tempestatibus huc se solent recipere, ut pisces haud longe à littore captos  
 ad solem indurent & exsiccent: certis autem quibusdam legibus & institutis, quæ &  
 consensu sunt firmata, & ut plurimum ultro ab omnibus servantur, inter se con-  
 gruunt: quorum potissimum est, ut quem quisque locum præceperit, illum teneat  
 ibidem inventis tuguriolis aliisque machinis illo anno utatur ut suis: sunt & alia quæ  
 consulto prætereo. Tentatum quidem aliquoties ab Anglis hanc Insulam proprii  
 juris facere, imposito cæteris gentibus vectigali & latis quibusdam legibus de Reli-  
 gione,

gione, & obsequio Regibus Angliæ præstando; præsertim anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> LXXXIII, quo *Humfredus Gilberti* eques, hanc in suam & Regum Angliæ possessionem vindicavit, & colonias eo deducere proposuit: verum quum ipse in reditu una cum celoce sua ab oceano esset absorptus, nihil tum ultra actum & piscatoribus pristina libertas mansit. Denuo anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> C VIII Angli, Ioanne Gujo Bristolienfi ductore, stas sedes in hac insula fixerunt, ad sinum Conceptionis, quæ aliquot annis ibidem perstiterunt.

## CAP. II.

*Incolæ Terræ Novæ, eorum habitus & Mores.*

10

**Q**UICUNQUE nuper de hac insula scripserunt, magno consensu testantur, orientalem & meridionalem illius plagam nullis hominibus habitari, sed omnes incolas barbaros ad occidentalem & borealem partes incertis sedibus vagari. Asperi atque inculti, nulla penitus religione in Deum, nullo politico regimine inter se, ferarum magis, quam hominum more agunt: barbaris qui in continente versus septentriones degunt, habitu atque victu ita per omnia similes, ut minime dubium sit, ex illis ortos huc aliquando commigrasse. Cæterum Galli atque Hispani qui quotannis fretum S. Laurentii ingrediuntur balænarum capiendarum gratia & ad oram occidentalem hujus insulæ se applicant, testantur hos barbaros ad ministeria Europæis præstanda satis promptos esse; pertenui enim victu & exigua admodum mercede conductos, utrisque in balænis concidendis, eviscerandis, coquendis indefesso labore singularem operam præstare. Statura corporis sunt mediocri, capillis nigris, lata facie, simis naribus, grandibus oculis; mares omnes sunt imberbes: uterque sexus non modo cutem sed & vestimenta rubrica quadam tingit, quæ ex pellibus marinorum luporum barbara industria consuunt. Mapalia quædam atque humiles casas incolunt è lignis in orbem dispositis & in fastigio junctis, quæ ferarum tergoribus aut piscium exuviis circumquaque adversus aëris injurias & pluvias contegunt: focus in medio tuguriorum struunt, cui noctu atque interdium, quum lubet, humi prostrati accubant. Cymbæ ipsis ex corticibus arborum compositæ, viginti ut plurimum pedes longæ, quinque aut circiter latæ & semilunæ in modum, ad proram atque puppim erectæ atque incurvæ, quinque ad summum vectorum capaces; illis utpote levissimis undas summa velocitate secant, easdem quum opus fuerit humeris gestant; nam ne stas quidem sedibus se continent, sed vagi Nomadum instar sæpius habitationes mutant, prout illos aut necessitas cogit, aut commoditas invitat. Arma ipsis sunt arcus & sagittæ lapillis quibusdam præacuris aut officulis asperata. Olim quoque ad australem plagam, ubi multo amœnior & opportunior habitatio est, haud multum dissimilis gens sedes fixerat, verum Europæorum, ut verisimile est, consuetudinem abhorrens aut pertæsa, ad interiora & ulteriora se recepit: Etenim Anonymus Gallicus scriptor, cujus ante meminimus, qui scripsit anno 1539, testatur, oram australem hujus Insulæ isto tempore tenuisse gentes barbaras omnis cultus atque humanitatis expertes, atque aliorum congressum affatusque penitus aspernantes, cæterum habitu corporis & amictu superioribus omnino similes, nisi quod faciem notis quibusdam inurerent & veluti lineis persignarent. Idem testatur, & orientalem plagam tum à paulo cultioribus & humanioribus populis, sed infrequentioribus fuisse habitatam: quæ utraque ora jam penitus deserta & cultoribus vacua deprehenditur, certissimo indicio, gentes hæc Europæorum consortia fugere quantum possunt, & ab iis deprehensas non nisi ingratis obsequium præstare.

cap. I.

## CAP. III.

*Portus & stationes hujus Insulæ, oraque omnis maritima.*

50

**N**ULLA Insula in toto terrarum Orbe, quæ quidem pari sit magnitudine, plures aut opportuniore stationes atque portus obrinet: quos ut particulatim recensamus, ora universa nobis legenda est, quam à promontorio *Raze* primo versus septentriones, deinde & versus occidentem stringemus. Promontorium

rium

rium ipsum quod vulgo *Cabo de Raz* vocant, extremum hujus insulæ versus austrum, distans ab æquatore versus arctum sex supra quadraginta gradus & viginti quinque aut triginta scrupula, humili est solo, nec multum prominere, scopulo autem quod mediam circiter leucam à littore in alto ipsi objacet, dignoscitur. Sex ab hoc promontorio leuc. versus Septentriones portus occurrit, *Renoufe* vel *Roigneuse* vulgo, in cuius recessu insula jacet tota petrosa: ad hunc portum singulis annis multæ naves appellant & ibidem pisces in alto captos aut sale condiunt aut ad solem indurant. Huic unius leucæ aut trium milliar. Anglicorum intervallo proximus est *Portus Formosus*, maximarum navium capax & continenti supra quatuor milliaria versus occidentem se insinuans, quadraginta sex gradibus & quadraginta quinque scrupulis ab æquatore. Haud longe ab hoc ad eandem plagam sequitur *Aqua forte* portus, angustiore aditu & præruptis undiquaque ripis. Itinerarium nauticum Lusitanorum, duabus ab hoc leucis, terræ cornu collocat, vulgo *Punta de Farilhan*, quadraginta & septem grad. ab æquatore, & paulo ultra varios terræ recessus & sinus quos *Abras* vulgus nautarum vocat. Tres deinde minores insulæ littori objacent, suis nominibus distinctæ, quarum prima *Ilheo de Ferro*, proxima *Columbrina*, tertia denique *Ilheo de Galeotas* appellatur, duarum circiter leucarum intervallo à promontorio *de Esphera* vel ut Galli indigerant *de Sant Fresaye*. Ab hoc promontorio ad celebrem *S. Ioannis* portum, quadraginta septem gradibus & quadraginta scrupulis ab æquatore, duæ numerantur leucæ. A quo quinque leucas versus Arctum proVectis promontorium *S. Francisci* occurrit, ad altitudinem octo & quadraginta graduum, magnum ad austrum sinum aperiens, quem Lusitani *Enscadam grandem*, Angli *Thornbaye* appellant; in latitudine annotanda nonnihil variant, nos Lusitanos hic sequimur. Ultra promontorium *S. Francisci* ora in eundem modum recedens, ingentem sinum & varios in illo recessus facit: Sinum ipsum Lusitani *Bahia de la Concepcion*, Angli *the Baye off Trinite* vocant, ad altitudinem pene novem & quadraginta graduum. Amplissimus hic est sinus & ubi angustissimus ad quinque milliaria patens, qui longe lateque tam versus Africum, quam occidentem terræ se insinuat, multosque habet recessus, peculiaribus nominibus insignes, quæ hic commemorare longum foret.

30 Tres in hunc sinum amnes exeunt, multæque in illo insulæ sparsæ, fertili admodum solo, unde hic portus inter præstantissimos hujus insulæ merito recensetur. Duorum autem milliarium à continente majoris insulæ intervallo, minor insula objicitur, quam de piscium qui hic capiuntur nomine *Bacalaos* vocant. Sinum vero prædictum ad septentriones claudit promontorium *de bona vista* cum portu ejusdem nominis, ad altitudinem novem & quadraginta graduum & quindecim scrupulorum secundum Lusitanorum computum. Ab hoc promontorio ad alterum quod vulgo vocant *Punta des Ilheos de Fray Louis* & ad ipsas insulas *de Fray Louis* decem sunt leucæ, ad altitudinem novem & quadraginta graduum & semissis: ab his insulis ad Insulam Avium ut Lusitani vocant, ad altitudinem quinquaginta graduum & quindecim scrupulorum, itidem sunt decem leucæ; atque hinc ora maritima se reflectit versus Trasciam, multaque hic vada & brevina, perpetuæ nives & summum frigus & piscium inopia. Juxta Promontorium *de bona vista* versus austrum ab aliis ponitur sinus, quem alii *Frelay* alii *Foriland* & *Farillon* appellant. Ab hoc promontorio terra nunc mare admittens, nunc excludens varios sinus & recessus variaque promontoria facit, usque ad promontorium *de Grat* quod hujus insulæ extremum est versus Septentriones. Angli minoris cujusdam insulæ meminerunt ad altitudinem novem & quadraginta graduum & quadraginta scrupulorum, quam Penguinorum insulam dicunt, ab earumdem avium ibidem nidulantium copia, quas barbari *Aporath* nominant, cum penguinis forma optime convenientes, quos alibi describam.

50 Quarterius Gallus, qui hæc maria inter primos lustravit, hanc insulam ob eandem causam *Isle des Oiseaux* appellaverat & Lusitani *Ilha das aves*. Hactenus littora hujus insulæ ad septentriones pertinent, nunc ad australe latus redibo.

Bacalaos  
Insula.

A promontorio *de Raz* ad australem hujus insulæ plagam, versus occidentem progrediendo, duarum leucarum iter est ad portum *Trepassez*, *Abram Trepessam* Lusitanis ad altitudinem sex & quadraginta graduum, secundum Anglorum computationem: peropportunos hic est portus & mare quod alluit altum, nullisque vadis

aut

aut scopulis impeditum: ab hoc ad fluvium, *Chinchetam* Portugallis, duæ numerantur leucæ: ab isto autem ad sinum *S. Mariæ* sex: hic sinus ingenti ostio & ad quatuor leucas patulo se pandens, insulam gremio suo concludit, quam vulgo *Culunetam* appellant. Sequitur ad eandem oræ plagam promontorium *S. Mariæ*, novemdecim leucis à promontorio *Raze* versus occidentem, ut quidam numerant. Ultra hoc alius sinus se aperit, quem *Placentiam* vel *Præfenciam* vulgo vocant ad altitudinem sex & quadraginta graduum & quadraginta quinque scrupulorum; nec procul hinc parvulæ aliquot insulæ vel potius scopuli oræ maritimæ objacent, quæ vulgo *Martyres* audiunt. Et quinque minores insulæ *S. Petri* nomine insignes, quæ & percommodum portum navigantibus præbent, & arborum sylvestrium copia cum majori insula certant: hæ ipsi faucibus freti, quod Terræ Novæ & *S. Laurentii* vel *Britonum* insulas interluit, prætenduntur. Ex adverbo australem majoris Insulæ oram, portum Cantabrorum, vulgo *Port aux Basques*, commemorat *Champlanius*. Ultimum ad occidentem promontorium vocant *Cap. de Raze*, quod distat ab insulis *S. Petri* milliaria quadraginta duo uti Angli testantur. Ab hoc ora se reflectit ad septentriones vel potius *Trafciam*, duodecim leucarum itinere, usque ad promontorium *Anguillæ*; à quo ad boream se subducit leuc. octodecim, ad sinum *S. Georgii* crebris Cantabrorum navigationibus notissimum; patet novem aut decem leucas, accoliturque à barbaris illis quos supra descripsimus: Quæ ab hoc versus boream supersunt, haud satis cognita sunt hæctenus, rarissime enim & fere ab invitis adeuntur.

## C A P. IV.

*Magni Banci, ut vulgo vocatur, qui Terræ Novæ prætenditur;  
& Insulæ de Sable, descriptio.*

**I**N S V L Æ Terræ Novæ, quam jam descripsimus, ingens maris dorsum prætenditur, quod vulgari nomine *Magnum Bancum* pleræque Europæ nationes solent appellare: inter Oceani mirabilia jure referendum: nam quum ingens Oceanus septentrionalis altissimus sit, ita ut paulo longius à continente fune ducentarum orgyiarum fundum attingere neutiquam possis, hic se veluti in jugum aut dorsum attollit, & modo triginta, mox quadraginta orgyas altum, ad aliquot centena milliaria in longitudinem extenditur, à quadragesimo & uno nimirum gradu ad quinquagesimum secundum versus arctum. Patet autem in latitudinem ad summum viginti quatuor leucas, & ubi paulum angustatur, sedecim atque etiam pauciores: & utrinque desinit in conum: Quo magis ad septentriones vergit, eo profundius fit mare, contra ad austrum, ita ut & cautes quædam hic extare videantur; quas Galli vocant *les Nucquelets*. A Promontorio *Raze*, ad hunc Bancum, viginti quinque leucarum trajectus est, altissimo inter utrumque mari; aliis locis paulo major aut minor distantia est ab Insula *Terra Nova*. Porro incredibilis pene piscium copia quotannis hic capitur; à Gallis, Hispanis, Lusitanis, & aliis nonnumquam nationibus; *Bacalaos* Cantabri, *Moliës* aut *Moriës* vocant Galli, notissimos toti Europæ pisces.

A medio Aprili ad exitum Julii hic pisces capiunt, captos exenterant & condiunt sale, ita conditi *Morie verte* Gallis dicuntur. Toto hoc tempore tanta avium multitudo supervolat, quæ visceribus piscium in mare abjectis vescuntur, (ut vix alio indicio navigantibus opus sit:) & hamis haud secus capiuntur quam pisces, summa cum voluptate: inter illos nominatim celebrant Galli *Fauquets*.

Præter hunc ingentem Bancum, plures alii minores circa Terram Novam observati, & præsertim duo, quorum unus australi hujus insulæ lateri objacet, & ad Insulas *S. Petri* usque producitur, *Banc au Vert* Gallis dictus; alter autem Insulæ *de Sable* ad Septentriones objectus, versus Boream deflectit, alios commemorare longum esset neque necessarium.

Porro Insula *de Sable*, (ita ab arenis Galli vocant) ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum sita est, triginta circiter leucis ab Insula *Britonum* sive *Sant Laurentii* versus austrum, ambit pene quindecim leucas, longior multo quam lata, vadoso

vadoso & importuoso in circuitu mari & naufragiis quorundam infami. Jam anno c10 10 xviii. Galli opportunitate loci allecti, auspiciis Baronis *de Lery* coloniam hic collocare in animum induxerant, sed serius hic appellentes, annonæ & imprimis dulcium aquarum inopia, re infecta discedere coacti sunt, & tantum armenta & porcos quos advexerant, hic reliquerunt; quæ animalia pabuli inopia (nam magna parte sterilis est insula & meræ arenæ) exiguum incrementum ceperunt: Post illa & à Lusitanis tentatam invenio, sed pari eventu. Denique jam diu à Lusitanis cæterisque nationibus neglectam, Marchio *de la Roche* Gallus rursus coloniis aliquot occupare est aggressus anno à C. N. c10 10 xcvi: Relicti tantum pauci in insula, qui ægre vitam ibidem tolerarunt, piscibus & prædictis animalibus se sustentantes; & pellibus nigrarum vulpium atque marinorum luporum exuviis sese amicientes: post quinquennium demum inde sunt abducti. Parvum in hac insula est stagnum, nullæ scaturigines: fruticeta multa, paucissimæ arbores, humus fere nuda aut leviter herbida; nec adiri facile propter vadorum brevia potest, neque sane, ut opinor, meretur.

## INSVLA S. LAURENTII sive BRITONUM.

## C A P. V.

*Insula Britonum situs, celi solique qualitates, Indigenæ.*

20 **T**ERRÆ Novæ alia ad occidentem insula adjacet, inter ipsam & Novæ Franciæ Continentem media; *S. Laurentii* quidem à sinu quem claudit, Britonum autem, ab orientali suo promontorio (quod vulgo *Cap Briton* vocant) nomine signata. Australe illius latus patet inter ortum & occasum viginti quinque leucas, distatque ab æquatore quinque & quadraginta gradus & totidem scrup. occidentale illius cornu abest à *Campseau* (ad extimum & orientalem N. Franciæ angulum sito) octo leucas: ab orientali autem illius promontorio (vulgo *Cab Briton*) ad promontorium Raze (Terræ Novæ extimum ad orientem) numerant septem supra octuaginta leucas. Dirimitur à Continente N. Franciæ freto novem aut decem leuc. longo; quod licet in mediterraneum *S. Laurentii* æquor penetret, profundo  
30 satis alveo, tamen rarissime navigatur, propter angustias canalıs & pernicem undarum lapsam, à quo & nomen apud Gallos invenit, vulgo *le Passage courant*.

Insula hæc forma triangulari; ambitu suo pene octuaginta leucas complectitur, maxima sui parte in colles, montesque assurgens, supra modum amœna & delectabilis: mare per varios alveos in intima usque admittit; & ab illis in multas partes veluti minores insulas dividitur: in medio lacus est & parvæ aliquot insulæ in illo sparsæ, in quibus magna ferarum copia reperitur; alvei imprimis testaciis piscibus foeti, inter quos ostrea numerantur, sed ingrati saporis. Ingentes ubique saltus, in quibus proceræ quercus, piceæ & similes arbores etiam Europæis familiares visuntur; multæ adhæc peregrinæ & nostro orbi ignotæ: solum egregia ubertate, fraga  
40 optima & similes fructus sponte profundit; gramina tamen licet proceras ob gracilitatem minus laudantur. Sylvæ cervos, nigras vulpes, lutras & similes feras alunt; neque minor hic avium copia, inter quas & Penguini numerantur.

In plerisque partibus à barbaris incolitur, qui habitu & moribus, cum incolis *Terræ Novæ* optime conveniunt, capillis nigris, quos infra humeros promittunt; ferinis exuviis pudenda tegit vulgus, cætera nudum, proceres etiam palliolo è ferinis pellibus humeros & pectus: canes habent nigros, quos magna cura educant ad venationem. Lusitani huc olim coloniam deduxerant, sed inclementiam hiberni cæli & frigus, crebrioresque tempestates pertæsi, statim mutarunt.


Portus pro magnitudine insulæ pauci numerantur: ad australem insulæ plagam  
50 duabus aut tribus leucis à *Cap. Breton*, promontorio illius orientali, portus Anglorum, (Gallis *port aux Anglois*) quod huc crebro solent commeare piscandi gratia: & paulo ultra versus occidentem, *Newport* Anglis, quasi novum portum dicas, quem parvula insula majori objecta circumscribit: octo dein ab hoc leucis alius, quem barbari sua lingua *Cibo* vocant, ubi tanta Cammarorum & Astacorum copia reperitur, ut fere fidem superet: Atque hi portus ad australem plagam: ad latus autem quod aquiloni obvertitur, octodecim aut viginti leucis à promontorio Britonũ versus

corum, portus *Ninganis* à Lusitanis memoratur, ad quem olim sedes fixerant, quas postea deseruerunt. Septentrionale hujus Insulae promontorium vulgo *Cap Sant Laurentis* appellatur, huic insula *S. Pauli* objacet; ab hoc promontorio ad Terram Novā & promontorium *S. Mariae* octuaginta trium milliariū iter à Gallis designatur. Deniq; ab hoc littus versus Africum se subducit & multos sinus & stationes aperit, ignobiles fere & solis nominibus notas, hæc hic recensere supervacuū puto, ne lectori tædium adferant.

## CAP. VI.

*Minores aliquot insulae per Fretum S. Laurentii sparsæ.*

**D**UÆ insulae, de quibus jam diximus, objectu suo veluti concludunt mediterraneum æquor sive sinum quem *S. Laurentii* nomine celebrant: in quem Oceanus per tres diversas fauces irrumpit, quarum mediæ satis latæ, inter duo promontoria *S. Laurentii* & *de Raye*, extremæ angustiores sunt; quibus dictæ insulae utrimque à Continenti separantur. Æquor hoc triquetrae est formæ, illiusque basis, ut ita dicam, ab uno Novæ Franciæ cornu ad altitudinem sex & quadraginta graduum, ad alterum cornu vel angustiores fauces ad altitudinem quinquaginta duorum graduum, utriusque insulae prætenditur, hac enim parte longissimus est sinus: reliqua duo latera usque ad magni fluminis Canadensis ostia in conum fastigiantur; dextrum quidem recta pene linea, sinistrum vero sinuoso anfractu & cubiti in modum, gremio suo aliquot insulas complectitur. Quarum una ab illis qui fretum hoc primi lustrarunt *Menego* dicitur, & ob Afellorum majorum uberem capturam multum celebratur, in recentioribus tamen tabulis geographicis non designatur, nomine illo obsoleto. Viginti trium ab hac leucarum intervallo, tres minores insulae memorantur, quas ab avium copia nunc *Isles des Oiseaux*, nunc *I. des Margaux*, Champianus autem in tabula sua *Isles aux Tangeaux* appellat. Harum duæ rupibus abruptæ & ascensu perdifficiles tanta multitudine avium obsidentur ut fidem pene superet: ad altitudinem quadraginta novem graduum & x l scrupul. ab Anglis fuerunt observatæ: ad tertiam Phocarum quoddam genus, maximo numero adnatare solet, ignotum, ut opinor, veteribus animal, quod nostrates *Walrus*, Angli à Russis mutuato nomine, *Morsh* vulgo nominant: Monstruosum est animal & amphibium; bobus nostratibus, ubi adolevit, interdum majus, cute cani marino, bucca vaccæ simile (unde & vaccæ marinæ nomen apud quosdam meruit) nisi quod duos dentes, prominentes & ante recurvos habeat, cubiti nonnumquam longitudine, quorum usus & precium ebori comparatur: fœtum supra unum aut alterum vix enititur; robustum & ferox imprimis animal, ideoque difficulter capitur & sæpius in terra, rarissime in mari. Iconem hic subjicimus ad vivum accurate expressam.

Menego  
Insula.Avium  
Insulae.

Nam hinc ejusmodi bellua visa fuit anno 1610, quam Cl. Vir Ælius Everhardus Vorstius Medic. D. & Professor p. m. ita descripsit. Belluam (inquit) hanc marinam vidi, magnitudine vituli, aut canis Britannici majoris, Phocæ non dissimilem;



lem ; capite rotundo, oculis bovillis, naribus depressis ac patulis, quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco utrimque foramina ; rictu oris rotundo nec ita vasto, superiori parte aut labro mystaca gestabat setis cartilagineis, crassis ac rigidis constantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua crassa brevisque, atque os interius dentibus planis utrimque munitum. pedibus anterioribus posterioribusque latis, atque extrema corporis parte Phocam nostratē plane referebat. Pedes anteriores antrorsum, posteriores retrorsum spectabant cum ingrederetur. Digi-  
 10 crassa, coreacea, pilisq; brevibus ac tenuibus obsita vestiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri instar edebat, seu crocitabat voce gravi & valida. Repebat per aream extra aquam, quotidie per semihoram aut amplius dolio aqua pleno immittebant, ut se ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex nova Zembla, decem hebdomadarum, dentes seu cornua exerta, ut adultiores, nondum habens, tubercula tamen in superiori labro percipiebantur, unde brevi proditura facile apparebat. Ferum & validum animal calebat ad tactum, valideq; per nares spirabat. Pulmentarium ex avena miliove comedebat lente & suctu magis, quam deglutiendo, herumque gestantem cibum ac offerentem magno nisu ac grunnitu accedebat, sequebaturque, nidore ejus allectus. Lardum ejus gustantibus haud insuave visum est. Conspiciebantur ibidem  
 20 duo majorum capita, dentibus duobus exertis Elephantorum instar, longis ac crassis & albicantibus munita, qui deorsum versus pectus spectabant. Eorum coria cccc aut Io pondo pendisse ferebant Angli qui attulerant. Hisce dentibus rupes ascendere seque sustinere ajebant. & prodeunt in continentem seu terram ut somnum ibi capiant gregatim. Pabulum ajebant illis esse folia oblonga ac magna, herbæ cujusdam è fundo maris nascentis. Nec piscibus vivere aut carnivororum esse. Vidi ibidem penem ejusdem animalis osseum, rotundum, cubitum & amplius longum, crassum, ponderosum ac solidum, in sine prope glandem longe crassiore ac rotundiore. Hujus pulvere ad calculum pellendum Moscovitæ utuntur.

- Ab hisce insulis ad insulam *Brion* v *leucæ* numerantur, in situ autem & magnitudine  
 30 hujus insulæ prodenda ab autoribus variatur: *Quarterius* Gallus qui primus has partes lustravit, atq; huic nomen imposuit, duas in longitudinem totidemque in latitudinem leucas patere tradit, alii longe minorem ambitum designant: piscosum esse mare quod hanc insulam circumluit, uno consensu tradunt; solum etiam ab ubertate pariter laudant, quippe & pascuis lætum & satis opportunum; de arboribus haud itidem convenit; *Quarterius* enim proceras arbores, alii tantum humiles & mera fruticeta se hic invenisse testantur, nisi forte nomina insularum mutata sint, atque hinc differentia inter scriptores orta. *Quarterius* inter soli dotes, fraga, rosas, vineas & plures herbas, etiam pisa optima passim in campis sponte nascentia, enumerat. Adjacet huic alia minor, quam *Isle Blanche* appellant, eadem soli fecunditate.  
 40 Imprimis autem hodie celebrantur *Rameæ* insulæ (*Isles Ramees* Champlanio) à civibus *S. Malo* anno cIo Io xc primum aditæ, Walrufforum capiendorum gratia, qui maximo numero ad has quotannis foeticandi causa solent adnatare: mox etiam ab Anglis. Verum in situ harum designando, in ambitu definiendo, tantopere itineraria utriusque gentis inter se & cum iis qui harum ante meminerunt, differunt, ut certi aliquid definire perdifficile sit. Galli ad altitudinem 47 graduum collocant & 20 miliar. ambitum tribuunt, quam barbaris *Menquith* dici produnt. alteram huic proximam, *Hup* appellari, 20 miliaria longam, solo arenoso & neque arbustorum neque graminis feraci: *Duoron* quoq; insulam, trium leucarum intervallo à *Rameis* divisam, alveo septem octove orgyas alto, intercurrente. Nos insulas *Rameas* & *Brion* prout invenimus  
 50 in tabulis hydrographicis Gallorum maxime recentibus, ita exprimi in nostra curavimus, donec diligentia navigantium majorem lucem adferat.

Obscurum omnino est dextrum freti *S. Laurentii* latus; nam licet à *Quarterio*, qui primus per angustas fauces, quæ inter septentrionale *Terra nova* cornu & Americæ Septentrionalis continentem in fretum hoc mediterraneum exeunt, navigavit, mularum insulæ, varii sinus, stationes, portus, amnesq; nominentur, incerta hodie sunt omnia, & nuda nomina atque indigesta, magno molimine lectoribus objicere, hoc vero

esset ipsorum patientia abuti. Itaq; monuisse contentus, fauces has à Gallis *Golfo de Chateaux* dici & aliquot leucarum spacio angustas, ubi se pandere incipiunt, littoribus utrimque recedentibus, magnum primo sinum, vulgo *Grand Baye*, efficere, deinde ubi se latissime explicant, *Golfo de S. Laurens* nominari, cætera intacta præteribo.

## C A P. VII.

*Insula Natiscotec, hodie Assuncion vel Ascension; & fluvius Cheschedec, aliique amnes.*

**A**NTE QUAM descriptionem magni fluminis Canadensis aggrediar, nequaquam prætereunda est Insula satis ampla quæ ostio illius objacet, illudque in duas veluti fauces dividit. Ea barbarorum lingua *Natiscotec*, Quarterio qui primus illam detexit *Isle de l'Assumption*, Ioanni autem Alfonso *de l'Ascension* appellatur: circiter 35 leucas in longitudinem, septem aut octo in latitudinem patet, & à gradu 48 & semisse ad gradum usq; 50, Eurum & Corum inter, porrigitur. A majori hujus Freti aditu circa promontorium *S. Laurentij*, ad orientale hujus insulæ cornu, 50 leuc. numerantur: à sinu vero *S. Georgij* ad occidentalem *Terræ novæ* oram sito, ut ab Anglis observatur, leucæ tres & quadraginta.

Peramœna est insula; nullis montibus aspera, plano & fœcundo solo, variis arboribus ad oram usque littorum vestita, inter quas piceæ excellunt; ideoq; ferarum in illa ubique magna copia, urforum, lyncium, herinaccorum & similibus: Avium autem infinitus numerus, tam silvestrium, quam littoralium & aquaticarum. Piscosum in ambitu mare; etiam cete in freto & juxta occidentale littus Terræ novæ fauciata, hic in littora non raro propelli experientia testatur. Stationes habet aliquot satis commodas, sed raros portus; nec ab ullis mortalibus insulam hanc habitari à quoquam hætenus traditum inveni. E regione occidentalis cornu hujus Insulæ, ad australè Americæ septentrionalis plagam, flumen exit, à *Iacobo Quarterio* secunda expeditione aditum, cui nomen *Cheschedec* etiamnum manet: invenerat jam ante septem Insulas, continentemq; cui illæ objacent, humilem, planã & plurimis proceris arboribus vestitam, sed crebris vadis & arenosis pulvillis obsessam, quæ ad leucam & supra, in altum sese projiciunt & relabente æstu extant, magnoque discrimine à navigantibus adeuntur: hæc vadosa ora circiter decem leucas occupat & ad orientalem hujus fluvii ripam desinit. Flumen ipsum tanta pernecitate erumpit, ut discussis maris fluctibus, diu qualem emisit undam agat, suumque inter falsas undas alveum fervet, & ultra milliare ab ipsius exitu dulcium aquarum haustus fit: in ipso ostio octodecim pedes altum est: intus innumeros *Hippopotamos* nutrire affirmatur; amphibium id animal, noctu superatis ripis egreditur in aridum, interdiu altum reperit.

Cheschedec flu.

S. Margaretæ flu.

A flumine Cheschedec versus occidentem sinus est, infida navibus statio propter breviam & scopulos: ultra tendentibus flumen occurrit *S. Margaretæ*, in ipso ore octodecim pedes altum minuente æstu, ubi fluctus implevit, tres orgyas: sed objectu vadi navigantibus infidiosum: oritur longè à mari è mediterraneis versus ortum, ubi ex altis jugis se præcipitat; hinc potissimè augetur. Haud procul ab ostio promontorium modice eminet, ad dexteram adjacet exigua insula. Omnis hæc ora distat ab æquatore gradus 55; multis arboribus & præsertim piceis vestita, & in modica juga se attollens.

Tribus à flumine *S. Margaretæ* leucis, alius amnis effluit, cujus magnitudo & altitudo ignota est, quia ostium illius crebris vadis & rupibus veluti obturatur, ab hoc ora in varia promontoria & sinus lancinatur, ipsa maximam partem humilis & arenosa. Sedecim porro leuc. magis ad occidentem sinus se pandit, in quem fluvius descendit, multarum navium capax, qui optimus est hujus oræ portus, nisi quod ora ob vadorum breviam, ad unam atque alteram leucam in altum egredientia non sine magno discrimine propius aditur. Atque porro ora nunc prominet nunc in sinus retrocedit, & aliquot insulas objectas habet usque ad notissimum portum *Lesquemin*, qui tamen & ipse male fidus est, crebris rupibus circumdatus, ore angusto, & quod unam tantum navem simul admittat, nihilo secius Cantabri hunc cete capiendi gratia solent adire. Tota hæc regio juxta littus humilis est & plana, mediterranea in colles montesq; assurgunt & silvis atque saltibus horrescunt; neque soli bonitate neque cæli temperie cum adversa Novæ Franciæ regione comparanda est, licet multo depressior sit.

Lesquemin.

## C A P. VIII.

*Portus Tadoufac & Flumen Saguenay.*

**H**AUD longe à portu Lesquemin, portus *Tadoufac* occurrit, creberrimis Gallorum & aliorum navigationibus inprimis celebratus, juxta ostium magni fluminis *Saguenay*, de quo statim dicitur. Exiguus est hic portus, & haud supra viginti navium capax, jacet in recessu quodam juxta ipsas magni fluminis fauces; exterius quidem à parva insula vel potius scopulo, quem marini fluctus fere exederunt, interius autem & in ambitu altissimis montium jugis clauditur, qui paucilla terra tecti, cætera saxa & cautes, altissimis piceis vestiuntur: haud procul à portu palus est collibus arboriferis circumdata. Mare in ipso portu satis altum, vicinitate rapidissimi fluminis, mirabili æstuum varietate agitatur, ventis vehementioribus & intensis frigoribus valde obnoxium. Portus ad Eorum maxime patet, sed hic minus metuendus est, à ventis qui flumen descendunt omne discrimen, utrumque illius cornu æstu relabente vada aperit; in ipso decem & nonnullis locis viginti orgyrum altitudo est: in ipsum sinus gremium palus prædicta per exilem canalem sese exonerat, sicuti & per alterum emissarium in ipsum flumen, duoque hi canales insulam quandam à continente præcidunt, in qua barbari quotannis quum ad hunc portum veniunt, ut merces suas (quæ fere è pellibus ferarum constant) cum Europæis commutent, tuguriola sua struere consueverunt.

Flumen indigenis *Saguenay* dictum, vastum est & multis locis ad ducentas orgyas (mirabile dictu) altum: à Coro descendit, adeo pernix, ut maris æstum accedentem dudum frustretur, & decursum ad ipsum pene ostium seruet: ostium quidem tantum quartam leucæ partem patet, sed quo magis ascenderis, eo latior fit alveus, multosque ab utraque parte receptos amnes secum devehit in mare, quorum quidam etiam navigabiles sunt: ad quinquaginta leucas ascendi potest versus Corum, ubi tum de modicis jugis præceps ruit, nonnumquam & in lacus spargitur, aut ab illis aquas sceneratur: multasque insulas vel potius rupes alveo suo lambit, omnes arboriferas. Ripæ dextra lævaque abruptæ in altissima montium & petrarum juga exsurgunt, arborum lucis densa & aspectu horrida. Regio soli cœlique inamœnissimi, & humano cultui ob continua frigora ineptissima, vera solitudo, nam nec sylvæ aves nutriunt præter paucas minutiores, nec lacus nisi statis quibusdam anni tempestatibus aliquot fluviatiles. Barbari qui huc commerciorum gratia è remotioribus Continentis regionibus descendunt, mira de hoc flumine narrant, atque adeo longo multorum dierum itinere, superatis variis cataractis; de quibus præceps unda volvitur, enavigatisque aliquot lacubus, tandem in conspectum magni maris Septentrionalis perveniri, magna asseveratione nostris persuadere conantur: sed vanitatem barbarorum & mentiendi libidinem non raro expertis (interdum non sine periculo) in ambiguo fides vacillat, neque quisquam hætenus, quod quidem sciam, paulo altius hoc flumen ascendit, neque ullum operæ pretium foret contra rapiditatem fluminis, in tam incultis & horridis regionibus luctari.

A sinistra hujus fluminis ripa, provinciæ barbarorum (quos vulgo Canadenses vocant) sumunt initium, itaque jam tempus est ut de principe harum regionum flumine porro agamus. Unum admonebimus, à portu *Gaspé*, qui jacet ad oppositam oram, è regione *Natiscotec* Insulæ, ad *Tadoufac*, octuaginta aut nonaginta leucarum intervallum præscribi ab itineris hujus gnaris.

*Magnum flumen Canadense; regionum item adjacentium designatio  
usque ad Quebea.*

**I**NTER illustria Septentrionalis Americæ flumina facile principem locum tueretur hoc, quod olim *Quarterius* qui primus lustravit, *Hochelaga* (ob causam quam mox indicabimus) posteriores *S. Laurentii* dixerunt, nunc vulgo ab accolarum nomine Canadense appellatur. Id in interioribus hujus Continentis provinciis ortum, interdum in lacus spargitur, rursusque contractis ripis per angustas fauces enititur, nonnumquam & præcipitatur, multos magnosque amnes recipit & deducit, alibi latius, alibi angustius, multis anfractibus & sinuosis flexibus descendens, donec ad occidentale insulæ *Naiscotec* sive Assumcionis caput sese freto *S. Laurentii* misceat, ingenti ore & inter utramque Continentis oram triginta aut quadraginta leucas lato, & supra centum & quinquaginta orgyas alto, maxime prope australem ripam. Pene supra fidem piscosum est; nam statis anni tempestatibus, pro cujusque piscis genio, ab ipso ore ad fontes usque, non modo fluviatiles, sed & marini pisces, (qui quidem amnes ingredi haud aspernantur) maximo numero capiuntur. Inter quos unus à *Quarterio* memoratur, peregrinæ admodum formæ, magnitudine oræ, colore plane candido, capite leporino, barbari sua lingua *Adhothues* appellabant: magna horum copia reperitur paululum supra ostium *Saguenay*, ubi aqua dulcescere incipit.

Utraque fluminis ripa peramœna est, sed maxime ascendentibus sinistra, solo leniter versus ripas declivi & sensim sese in colles & montes attollente; ubique autem arboribus & silvestribus vineis vestiuntur, gratissimo adpectu, de jugis multi rivi, torrentes, & modici amnes descendunt & à magno flumine absorbentur. Multas insuper alveus complectitur insulas, plurimos facit sinus & recessus, de quibus ut eo ordine dicamus, quo jacent, à *Saguenay* redordiemur, hætenus enim superiori capite dextram ripam produximus.

Iste aux  
Lievres.

Sex itaque ab ostio illius leuc. versus occasum, parvula insula Continenti prætextitur, quam à piscibus illis, quos modo descripsimus, Leporariam vocant; distat à dextra quidem ripa duas, à sinistra vero quatuor leuc. sub hac anchoræ tuto figi possunt. è Continente fluviolus exit, refluyente æstu vadofus, Champlanio *Riviere aux Saulmons*, quia Salmones hic capiuntur. Tribus ab hoc leucis distat promontorium *Delphini*, quod amplissimum & circiter VIII leuc. latum aperit, in cujus gremium amniculus exit, minvente æstu vadofus: clauditurque à promontorio Aquilino.

CapDau-  
phin.  
I. aux  
Coudres.

Unius leucæ intervallo objacet Insula Avellanarum, à multitudine illarum arborum, quibus tota scatet, dicta: tres leuc. in longitudinem patere, binas in latitudinem, *Quarterius* prodidit; Champlanius dimidia parte minorem facit: ad utrumque cornu fastigiatur; versus occidentem pascua: circa litrus quod Africum adspicit scopuli extant, & hic fluctus admodum fervet: Cæterum peramœna est insula, & arborum lucis vernans; haud supra mediam leucam à ripa diremta; è regione illius, modicus amnis è continenti profluit, *Riviere du Goufre* Champlanio, non ab altitudine ipsius amnis, vadofus enim est & ob rupes ostio illius objectas, navigari difficilis, sed ab altitudine freti quod insulam & continentem interluit, & magnis æstibus concitatur, etiam quum venti silent. Ob eandem causam & promontorium, quod quinque leucas hinc abest versus occidentem *Cap de Tourmente* Gallis dicitur. Hinc jam unda magni fluminis magis magisque dulcescit.

I. d'Or-  
leans.

Succedit duarum leucarum intervallo Insula, *Quarterio* quidem *Bacchi* ob vitum silvestrium multitudinem, hodie *d'Orleans*, à dextra quidem ripa mediam, à sinistra sesquileucam dirimitur; patet in longitudinem sex, in latitudinem haud multum supra unam leuc. australe illius latus abundat sylvis & pascuis delectabili varietate. Ad austrum aliquot minores insulæ adjacent, planæ & æquales, læta pascuorum & lucorum varietate delectabiles, nec ferarum inopes, sed inter ipsas & conti-

continentem multi scopuli intersunt, qui difficilem navibus ea parte accessum faciunt.

A flumine *Saguenay* ad dictam insulam, ripæ fluminis Canadensis magno flexu versus Africum incurvantur; solum utriusque continentis altis montibus asperum est & infœcundius, multis piceis & similibus arboribus ubique obsessum: ripæ scopulis hac illac sparsis aditu difficiles, ipseque fluvius haud facilis navigari nisi cum summa cura.

Porro ab Insula Aurelianensi ad *Quebec* (de quo paulo post) unius leucæ iter est: Totum autem illud Continentis Septentrionalis spatium, quod *Tadoussac* & *Quebec* interjacet, à Gallis *Novelle Biscaye* appellatur; finitur autem torrente rapidissimo, qui è lacu, decem circiter leucis à ripa fluminis, in altis montibus ortus, ab iisdem in abyssum supra viginti cubitos altum se præcipitat, & ex adverso Insulæ hujus in magnum alveum devolvitur; Cataracten vocant Galli *le grand Sault de Momoranci*.

Hactenus dextram ripam secuti sumus, antequam autem ad ulteriora pergamus, etiam oppositam obiter lustrabimus. E regione occidentalis Anguli *Natiscotec* Insulæ, versus austrum promontorium vulgo *de Boutonieres*, in altum egreditur, & paulo ulterius versus *Corum* promontorium *Episcopi*, & in ipso littorum flexu versus occidentem promont. *de Chat*, supra quod altissima montium juga sese ostentant, vulgò *Monts de Nostre dame*. Nec procul hinc *Mantane* in magnum alveum decurrit, exilis amnis & ad octodecim leucas tantum parvis cymbis navigabilis: Barbari qui annem hunc accolunt, ubi ad fontes illius ascenderunt, cymbas suas leucæ circiter spatio humeris portant ad alterius amnis originem, qui in magnum finem se exonerat, atque ita merces suas facili commercio permutant. Viginti à *Mantane* leucis, *Le Pic* occurrit, mons de se consurgens & quò magis exurgit eò exilior; ab hoc ad portum *Tadoussac* in opposita ripa quindecim leucarum trajectus est. Medio autem inter *Mantanem* & hunc montem spacio insula *S. Barnabæ* occurrit, ripæ huic propior; cætera hujus ripæ tantum leviter cognita sunt.

## C A P. X.

30 *Interiora Fluminis Canadensis, & de urbe Hochelaga à Jacobo Quarterio quondam visa & descripta.*

ANTEQUAM descriptionem Fluminis Canadensis & riparum illius secundum recentiorum designationes prosequamur, non abs re fuerit priorum ante meminisse, & quæ à Jacobo Quarterio sunt observata in medium adferre. Is igitur quum ad Insulam *Bacchi*, hodie *d'Orleans*, cum navibus suis ascendisset, paulum versus occasum provectus, idoneumque portum nactus, ibidem anchoras jecit, portuique *S. Crucis* nomen imposuit (*Champlanius* quibusdam argumentis evincere conatur, hunc locum hodie *Quebecq* dici, alii aliter sentiunt:) ubi tum barbari fixa domicilia habebant & municipium *Stadacam* sive *Stadaconam*: Quumque jam autumnus appropinquaret, domum ædificandam curavit, hibernationi aptam, in qua dum fabriles operæ occupantur, ipse cum aliquot sociis xix Septemb. anni cIdo lxxxv interiora fluminis lustrare aggreditur: Ripæ autem utrimque supra modum amœnæ visæ, ingentes arborum luci & saltus & innumeræ vites, sed minorum atque acidiorum uvarum feraces, utpote incultæ: Ipse fluvius amœno blandus alveo, multis dextra lævaque barbarorum pagis & domiciliis cultus, qui piscibus potissimum victitabant. Viginti quinque milliar. supra portum *S. Crucis*, fluminis alveus veluti constringitur & per angustas fauces super rupes & saxa sub undis latentia, rapido fluxu eluctatur, ideoque & navigantibus infidus: hæ angustia barbaris *Achelaci* sive *Hochelay* dicebantur.

Novem deinceps dierum itinere subvectus, magnum lacum intravit, in quem flumen spargitur: duodecim hic in longitudinem, quinque aut sex leucas in latitudinem patebat, duas plerisque in locis orgyas altus, sub initium unam & semissem, quatuor aut quinque fluviorum influxu nutritur, qui aliquot minores insulas intersecant: hinc deinceps flumen certo suoque alveo labitur & alterum rursus lacum

pandit, à quo ad *Hochelagam* quadraginta quinque leucarum iter est; flumine toto illo spacio vadoso & non nisi minoribus cymbis navigabili.

Hochelaga.

Ipsa urbs *Hochelaga* sex aut septem leuc. à ripa fluminis distita erat, in amœno & bene culto agro; abietum & pulcherrimarum quercuum ingens hic erat copia, & spatiosissima arva, Maizyque sata, quo indigenæ pro farre utuntur. Urbs ligneo vallo in orbem munita erat, trabibus transversis & tignis singulari industria inter se compactis, fastigiato & asseribus extus & intus superinductis clauso: additum erat, circa fastigium, tabulatum, ad quod scalis ascendebatur & in quo filices & saxa magno numero erant congesta, quo propugnatores si vis hostilis ingrueret & tuto possent consistere & subeuntes à vallo saxorum ejaculatione summove. Domus 10 in urbe paulo pauciores quinquaginta, itidem è materie structæ & corticibus arborum tectæ, quindecim passus latæ: quinquaginta ut plurimum longæ, in varia cubicula & conclavia eleganter distributæ, unico pene in medio ædium foco. Populo annona, aliaque inter se communia erant; panis è *Mayzio*, quod *Caracomy* appellabant; fabarum, pisorum, melonum atque cucumerum affatim; pisces ad solem & ventum siccatos aut fumo induratos in hibernum tempus seponebant; vestes è ferinis pellibus componebant, ex iisdem & strata super tabulata, paulum supra solum edita struebant. Gens divitiarum contemtrix, quas neque appetunt, neque norant, unicâ de victu & amictu curâ. Neque commerciorum causâ, ut plerique barbari, peregrinationes suscipiebant, sed limitibus suis contenti, operam omnem 20 & industriam in colendis agris, in venationibus & piscationibus collocabant. In pretio solum habebant *Esurgnny*, candidum instar nivis, quod in fluminibus reperiri scribit *Quarterius* in *Cornibots* (quid hæc vox sibi velit, indagare nondum potui, nisi forte conchyly quoddam genus sit, aut pro *Cornibot* scriptum fuerit *Caramot*, quo nomine squilla Gallis designatur:) in hunc modum: Cadavera hostium suorum, aut etiam civium ob gravius aliquot delictum morte multatorum, oblongis vulneribus in partibus maxime musculosis incisa, in flumen demergebant, & duodecim aut plurium horarum spacio in fundo relicta, denuo extrahebant atque ita in incisuris illis, preciosum illud suum *Esurgnny* inventum, in monilium usum efformabant. Regulum suum qui *Agouhanna* illis vocabatur, summo opere venerabantur, & ferarum 30 pellibus insidentem, in humeros sublatum circumgestabant. Beata procul dubio gens, nisi verum Deum, illiusque cultum penitus ignoraret.

Hæc à Iacobo *Quarterio* prolixè commemorata, præterire nolui, quamvis à *Champlano*, aliisque Gallis, licet longinquiorebus multo itineribus susceptis, nihil hodie de hac urbe aut gente compertum fuerit; sicuti neque de aliis multis quæ *Quarterius* aut visa sibi, aut ex barbarorum relatu accepta memoriæ prodidit, quæ uti incerta & dubiæ fidei, hic operose recensere nequaquam necessarium existimavi.

#### C A P. XI.

*Descriptio magni fluminis Canadensis circa Quebecq & supra, secundum observationes recentiorum.*

40

**C**APITE nono utramq; magni fluminis ripam profecuti sumus usque ad *Quebecq*, ita posteriores Galli & *Champlanius*, vocant angulum quendam continentis, ad altitudinem sex & quadraginta graduum & viginti scrupul.; *Coloniâ* Gallorum de qua mox dicetur, illustratum, & tum quum Galli primum hic appellerent, denso nucum luco amœnum. Vicina regio uberrimo est solo & ad quævis sata reddenda peridoneo; sed fere ingentes sylvæ occupant variarum arborum, nec nostris dissimilium, etiam fructiferarum, puta nucum, prunorum, ceraforum, quæ ob culturæ defectum, fructuum bonitate plurimû à nostratibus superantur: vites innumeræ: rubi, 50 fraga & similes fructus; herbæ & radices ad usum humanum utiles passim multæ: vicinus fluvius, (qui hic tantum quartam leucæ partem latus) large pisces, sylvæ feras subministrant. Cælum salubre ab exitu Aprilis ad medium Decemb. hiberni autem menses morbidi, scorbutû & similes affectus afferunt: Hyems enim hic admodum longa, ita ut sæpe nives usq; ad initium May solum operiant; quod mirû videtur ratione clymatis. Corus hic omnium frigidissimus, hibernis mensibus nives, æstivis serenos soles adducit.

Quo

Quo altius ab hoc loco flumen ascenditur, eo magis delectabiles ripæ apparent: sed alveus fluminis nunc unam nunc duas leucas latus, sensim fit exilior & propter crebra vada & rupes difficulter & cum discrimine navigatur.

Quindecim à Quebecq leucis versus occidentem ad oppositam ripam, alter angulus prominet, cui *S. Crucis* nomen etiamnum hæret, ab hibernis Quarterii ut vulgo creditur; licet totus sit arenosus & Cori violentiæ expositus, pascuaque quæ adjacent, ubi fluctus implevit, aquis operiantur; & difficulter adiri possit ob brevia, cautesque & fluvii rapiditatem. Novem ab hoc leuc. è dextra ripa effluit modicus amnis, *Sancta Maria*, vulgò, & paulo ultrajacet insula, (*S. Eloy* Gallis,) à qua quinque leucarum iter est ad fluvium, Gallis *les trois Rivieres*; hujus ostio aliquot minores insulæ objacent amœnissimo prospectu; & statim occurrit Lacus *S. Petri* ad altitudinem sex & quadraginta graduum; octo leucas in longitudinem, quatuor in latitudinem patens, & tres quatuorve orgyas altus: ad dextram ripam *S. Susanna* modicus fluvius, ad lævam duo exiles quidem amnes, sed amœnissimos campos permeantes, *du Pont & de Gennes* vulgo, in lacum se condunt, cujus unda tam tarde movetur, ut fere stare videatur. Ad caput hujus lacus aliquot minores insulæ jacent, multis arboribus vestitæ, & vinearum læto proventu & ferarum multitudine insignes. Ad lævam amplissimus fluvius exit, ab accolarum nomine *Fleuve des Iroquois* Gallis dictus, quinque & quadraginta grad. ab æquatore: ostium quadringentos aut quingentos passus patet, alveus ab Africo in aquilonem divergens, utrimque amœnissimas & multis arboribus opacas lambit ripas: novemque aut decem insulas circumgyrat; multis locis ultra dimidiam leucam latus, neque minus quam quatuor pedes, ubi maxime exilis, altus, per plana inde à novissimo cataracte descendit per quindecim leucarum spatium; ipse cataractes lacus instar sparsus & vadofus, præcipiti lapsu tam citus devolvitur, ut nullis cymbis superari possit; barbari tantum monoxulis suis lintribus, summo labore & magno discrimine enituntur: hoc cataracte & item altero superato, deinceps in magnum lacum intratur, qui octuaginta aut centum leucas ambit, multasque insulas complectitur, quarum quædam decem & plures leucas in longitudinem patent, castorum copia opulentæ: lacum ambiunt sylvæ, castanearum, quæ cæteris Novæ Franciæ regionibus insolentes, feraces: lacus varios pisces nutrit, & inter illos unum alibi ignotum, quem barbari *Chausarou* vocant; hic ad decem pedum longitudinem non raro excrescit, longus & teres instar Lucii, durissimis cinericei coloris squamis, & quæ ferri aciem hebetent, totus, veluti Accipenser, armatus; rostro oblongo, magno rictu & duplici acutissimorum dentium ordine ad utramque maxillam præditus; non modo cæteris hujus lacus piscibus infestus est, sed & aves singulari industria venatur; inter arundines quippe & juncos ad ripam lacus latitans, rostrumque erigens & rictum supra undas deducens, tamdiu immotus præstolatur, donec aves doli ignaræ, in rostrum illius tanquam stipitem incumbant, præsentis sui exitio. Barbari caput hujus piscis maximi faciunt, & quum capitis doloribus tentantur, utuntur dentibus ad venam secandam, illa parte, quæ laborat, præsentis ut ipsi testantur levamine. Supra ripas lacus utrimque altissimi montes visuntur; quorum juga ad orientem versâ perpetuis nivibus candent: Juxta hos *Iroquosij* amœnas & Maizii feraces incolunt valles; quemadmodum & ad austrum, juxta minorem lacum, qui ad Norumbegam deflectit; quo & montes se exporrigunt altis quidem jugis sed haud ita nivalibus. Huic à se primum adito, Champlanius nomen de suo imposuit. Sed ad magnum flumen regrediamur.

Ab ostio fluvii Iroquosiorum aliquot leucas provectis, ingens occurrit cataractes *S. Ludovici*: ubi flumen se veluti in lacum dispargit & inter rupes & minutas insulas crebris vorticibus tam pernix ruit, ut navigiis superari nequeat, itaque barbari lintres suos monoxulos in terram subductos humeris gestant ad caput cataractæ. Porro duabus supra hunc leucis alius lacus jacet, duodecim leucas ambiens & tres mediocres amnes excipiens, quorum unus ab Occidente descendit & ab *Ochataiguinis* accolitur, qui longa riparum spacia inde ab ostio hujus amnis occupant; alter ab Austro ex Iroquosiorum provinciis; tertius denique à Septentrione cujus ripæ ab *Algoumequinis* & *Nebicerinis* habitantur. Lacus autem complectitur pulcherrimas insulas, ripæque omnes & vicinæ terræ vastis teguntur nemoribus;

quinque

Sault S.  
Louis.

quinque & quadraginta grad. ac octodecim scrupul. ab æquatore, ut *Champlanius* observat: Qui quum ex uno suorum, quem jam ante in interiores provincias lustrandi gratia ablegaverat, intellexisset, mare arctoum per tertium hoc flumen adiri posse (nam se eousque pervasisse & navis Anglicanæ tabulas fractas in littore vidisse mentiebatur) minore cymba iter est aggressus: sed postquam longa terrarum spacia summa cum difficultate esset emensus, plurimos lacus, multos cataractas & cæcos scopulos superasset; varias gentes, *Quenongebinos*, *Oue-scharinos*, *Algoingequinos* & *Matou-Oue-scherinos* adiisset, denique jam septem supra quadraginta gradus ab Æquatore abesset, tandem incolarum indicio, & conductoris sui confessione se deceptum cognovit, & voti irritus, alio itinere remeavit ad *Quebecq.*

Porro *Champlanius* supra cataractem S. Ludovici collocat Lacum *Algommequinorum* in quem fluvius descendit, cujus ripas utrimque claudit solum infœcundum, & habitatoribus infrequens, qui *Otaguottovemini* appellantur ex gente *Algommequina*, & ferina atque piscibus victitant.

Proximus huic sed longo intervallo jacet Lacus *Nipisierinorum* sex & quadraginta gradibus & xv scrupul. ab æquatore; hi barbari parce admodum sementem faciunt; patet in longitudinem viginti quinque, in latitudinem octo leuc. gallicas. Succedit lacus *Attigovautanorum*, qui patet in longitudinem pene quadringentas leuc. gallic. in latitudinem quinquaginta; unde à Gallis Mare dulce appellatur. Supra fidem piscosus est, nutritque inter alios pisces, grandissimas Trutas. Maxima pars accolitur ab *Attigovautanis*, qui hic octodecim pagos habitant, quorum sex ligneo vallo muniti sunt, pene ad modum *Hochelagæ*, de qua supra.

cap. x.

## CAP. XII.

*Barbarorum qui has Novæ Franciæ regiones incolunt, habitus, mores, religio, idioma.*

**P**RIVS QVAM ad descriptionem reliquarum N. Franciæ regionum transeamus, de ingenio, moribus, atque institutis barbarorum qui ripas magni fluminis accolunt, quique vicinas regiones inhabitant, pauca sunt dicenda. Galli qui hæc regiones crebrius adierunt, uno pene ore testantur, indigenas licet temperamento corporis Melancholico videantur, hilariores tamen esse & ad risum admodum pronos: Lente sermocinantur & planè, ut qui se intelligi velint, sæpiusq; meditabundi sermonem suspendunt & per intervalla repetunt. Qui haud longè à *Quebecq* degunt, à medio Septembre ad mediū Octobrem anguillarum capturæ dant operam, (quarū circa hoc tempus maxima in fluminibus est copia,) easque recentes in cibum adhibent, & siccitas in hybernum penu recondunt; hyeme autem quum nives altissimæ sunt (ita ut solum interdū ad trium pedum altitudinem operiant) venationibus Castorum indulgent, pedesque craticulis quibusdam suffulciunt, ut tutius vestigia super nives possint figere; iconem è *Commentario Champlanii* acceptam hic adjunximus. Anguillis absumentis, venatu Alcium & aliarum ferarum se sustentant; sed his quoq; deficientibus, admodum inopem vitā degunt & non raro misere cum fame colluctantur; limaces tum studiose investigant, denique & canes suos macant, neque à pellibus quibus vestiuntur abstinere, aut interdum ab impuris & putridis cadaveribus; uti à *Champlanio* notatum. Duobus vitiis vel maxime obnoxii sunt; nam



primo



primo vindictæ cupidissimi sunt atque in hostes suos aperto Marte aut ex insidiis captos, immani & plane belluina crudelitate sæviunt, tam vivos quam mortuos: secundo mendacissimi sunt & cum primis dolosi perfidique; ita ut neque ipsorum verbis, neque promissis temere fides sit habenda.

Ut plurimum nullis legibus, nullis institutis politicis, ferarum in modum agunt, tantum abest ut aut Deum noverint aut numen aliquod ulla specie religionis, cultive venerentur. *Quarterius* quidem prodidit, Barbaros apud quos juxta S. Crucem hibernarat, unum Deum agnoscere & sub nomine *Cudruagnii*, superstitione timere potius, quam colere; mira que fabulari de omnium rerum conditore, & hominum  
10 creatione, verum tamen has divinæ cognitionis veluti scintillas, tam supina & crassa ignorantia obrui, ut penitus extinctæ videantur: verum hujus cognitionis hodie ne vestigia quidem apparent,

Habent autem suos vates atque hariolos, *Pillotoas* vocant, quos familiariter cum cacodæmone sermones ferere & rerum gerendarum momenta exquirere, eventusque prænoscere credunt; ideoque hisce non ante consultis, nihil temere aggredi, obnuntiantibus autem omittere aut differre solent. Quin & suis quique insomniis miram fidem adhibent, & ex iisdem insequentis diei auspicia præcipiunt. Et, quoniam supra modum meticulosi sunt, iisdem ita terrentur, ut è stratis suis sæpissime ex-  
20 nes agant.

Corporis statura sunt mediocri, bene compositis membris, sine ulla insigni deformitate; tam fæminæ quam mares colore subfusco aut illo qui in maturis olivis cernitur, idque non à nativitate, sed à certis unguentis & coloribus, quibus corpora sua à teneris illinere consueverunt: quidam & notis quibusdam & puncturis cutem pingunt ut formosiores appareant.

Æstate quidem seminudi agunt, hyeme vero totum corpus, pellibus alcium, viforum, castorum & similibus ferarum tegunt. Arma ipsis sunt arcus & sagittæ lignæ clavæ & parmæ corio tectæ. Icones à Champlanio expressas hic adjungere visum, in quibus habitus marium & arma ipsorum videre est.

30

40



50 Adolescentulæ postquam decimum & quartum aut quintum ætatis annum attigerunt, omnibus promiscue sui copiam faciunt, dein post quinquennium aut sexennium, tam vagæ libidinis pertæxæ, unum sibi virum deligunt, cum quo reliquam vitam pudice agant, & pleræque haud facile fallunt nisi forte viro conscio. Si tamen steriles esse comperiantur, viris illas dimittere & alias sumere licet: mariti ut plurimum valde zelotypi sunt & conjuges suas curiose observant. Cæterum haud alios matrimoniorum ritus norunt, quam parentibus munera mittere quorum filias ambiunt  
aut

aut sumunt. Vti autem & fæminarum atque adolescentularum amictus, itemque cultus & ornamenta, quibus in festivitatis & publicis choreis magis se onerant quam ornant, plenius cognosci possint, ex eodem Champlanio icones unius adolescentulæ, & duarum utrimque fæminarum, hic subjecimus.



10

20

Mortuorum cadavera scrobe effossa in visceribus terræ condunt, vestesque, lebetes, secures, arcum, sagittas & quicquid vivi possederunt juxta collocant, & terra aggeris in modum aggesta operiunt, tignis superiniectis & affere quem rubrica quadam tingunt, hic tumuli apud illos honos: animarum autem immortalitatem profitentur, easque à corpore separatas in longinquis regionibus & amœnissimis locis cum amicis ante defunctis, delitiose vivere opinantur.

Atque hi quidem omnium pene illorum barbarorum mores, sed victus inopia & misera ista vivendi ratio non omnibus æqualiter accidit: qui enim ab ostio fluminis ad Cataracten S. Ludovici utramque ripam accolunt, *Montagneta*, *Canadenses*, *Souriquosii* & similes, quia terram non colunt, inopem vitam & nonnumquam gravem esuriem tolerant: qui vero supra cataracten & in mediterraneis degunt, *Algoumequini*, *Ochastaguini*, *Yroquosii* alique complures, agros colere & fruges in horrea cogere sueti, raro hanc inopiam patiuntur, nisi quum aut messis fellit, aut ipsi non bene rationes suas subduxerunt. nam omnibus hisce barbaris familiare (ea est gentis segnitias) non longius quàm in unam hyemem, idque satis parcè, prospicere; ex quo fit ut & ipsi interdum egeant & numquam aut raro admodum vicinis aut advenis quicquam possint impartiri.

De barbarorum lingua quædam à *Quarterio* atque aliis observata, hic adjungere operæ precium visum. Ex barbarorum lingua qui *Hochelagam* incolebant, numerorum nomina hæc annotata: I. *Secada*: II. *Tignem*: III. *Hasche*: IV. *Hannaion*: V. *Oviscon*: VI. *Indahir*: VII. *Ajaga*: VIII. *Adigue*: IX. *Madellon*: X. *Assem*. Quæ *Canadenses* hodie (ut à *Lescaroto* Gallo observatum) in hunc modum efferunt. I. *Begou*: II. *Nichou*: III. *Nichtoa*: IV. *Rau*: V. *Apateta*: VI. *Contouwachin*: VII. *Neovachin*: VIII. *Nestovachin*: IX. *Pescovadet*: X. *Metren*.

Partium humani corporis nomina apud *Hochelagenes* *Quarterius* observavit ista. 50

Caput	<i>Aggonzi</i> .	Genua	<i>Agochinegodascon</i> .	Os	<i>Esahe</i> .
Aures	<i>Abontascon</i> .	Manus	<i>Aignoascon</i> .	Barba	<i>Hebelin</i> .
Lingua	<i>Osnache</i> .	Viri pudenda	<i>Ainoascon</i> .	Collum	<i>Agonhon</i> .
Capilli	<i>Agoniscon</i> .	Vir	<i>Aguehum</i> .	Venter	<i>Eschebenda</i> .
Stomachus	<i>Aggruascon</i> .	Frons	<i>Hergenascon</i> .	Tibiæ	<i>Agouguenebonde</i> .

Digiti

Digiti	<i>Agenoga.</i>	Fœminæ pudenda	<i>Castaigne.</i>	Fœmina	<i>Agruaste.</i>
Oculi	<i>Higata.</i>	Dentes	<i>Esgongas.</i>	Facies	<i>Hegouascon.</i>
Brachia	<i>Ajayascon.</i>	Femora	<i>Hetnegradascon.</i>	Pedes	<i>Onchidascon.</i>
Ungues	<i>Agedascon.</i>				

Atque hæc quidem de Veteri lingua suffecerint, recentioris paulo post mentionem faciam: cæterum hi barbari ut sæpe locum ita & linguam mutant, quemadmodum ex comparatione liquebit. Ii denique qui cum Europæis commercia exercent, multa vocabula Cantabrica & Gallica jam in usum receperunt, licet ob pronuntiandi difficultatem mire deformata.

## C A P. XIII.

*De Attigovautanorum moribus & institutis è Champlanii Commentario.*

**C**HAMPLANIVS accurate admodum nobis descripsit Attigovautanorum mores, qui ad quadragesimum quartum grad. versus Arctum degunt, è quibus & reliquorum barbarorum æstimari possunt. Tuguria ipsorum ad modum furnorum facta sunt & corticibus arborum tecta, viginti quinque aut triginta decempedas longa, & sex lata; utrimque tabulata supra solum quatuor pedes erecta, (super quæ æstate cubant, ut pulices vitent, à quibus mire infestantur,) semita decem aut duodecim pedes lata separantur; hyeme humi super stercas juxta focos cubant, qui in singulis tuguriis plures pro numero familiarum (nam interdum viginti & plures familiæ in uno tugurio habitant) unde tam graviter à fumo vexantur, ut plerique ubi senuerint, visu priventur.

Annona eorum maxime communis est Maizium & phaseoli: Maizium autem leviter ebullitum in ligneis mortariis frangunt, fractoque addunt phaseolos, aut alios fructus ad solem siccatos, interdum & adipem cervinam; & mixta tepida cogunt in placentas, quas sub cineribus coquunt, & coctas frigida abluunt. Idem contusum, quantitate duorum aut trium pugnorum, aqua miscent & in olla coquunt, continuo agitantes; dein addunt piscium paucillum, recentium aut ad solem induratum; hunc cibum, vocant *Migan*; & variis modis condiunt; sed quovis modo conditus male olet, pessime autem hyeme. Canes in deliciis habent & in festivitibus mensis inferunt, quemadmodum & ferinam. Vt plurimum quoque Maizium cum spica sua cæno aut aquæ immergunt, & tantisper relinquunt donec putruerit, dein exemptum cum piscibus aut carnibus ebulliunt: licet autem gravissimum odorem de se fundat Maizium putridum, tamen vel maximi id faciunt, & avidissime etiam incoctum lingunt & exsugunt. Vrsos denique saginant aliquot annis, & in summis festivitibus usurpant.

Vestes è pellibus variarum ferarum componunt, ad eum modum quem supra in Iconibus expressimus. Plerique facies pingunt nigro aut rubro colore, mixto cum aruinâ vrsorum aut pinguedine aliarum ferarum: vestes marium & fæminarum parum differunt; nisi quod hæc etiam ornari gestiunt plurimis conchyliis industrie inter se confertis: his adolescentulæ se imprimis onerant ut procis placeant.

Mares fere venationibus & piscaturæ mercaturæque dant operam, Tuguria struunt, & ad bellum progrediuntur: fæminarum autem iniquissima conditio est, nam non tantum agros colunt, & ligna congerunt, & messem cogunt, omniaque domestica munia obeunt, verum etiam maritos ad bellum egredientes comitantur, & necessaria omnia mularum instar bajulant. Matrimonia pene ad eundem modum se habent quem superiori capite descripsimus, nisi quod fœminæ etiam rarissime, postquam unum elegerunt, fidem servant, ut plurimum impune, & conjugè haud ignaro. Politicum aut civile regimen ipsis nullum, nullæ leges, crimina impunita, nisi quod privatim interdum pro vindictæ libidine crudelissime vindicantur, unde non raro domesticæ & civiles discordiæ, seditioes & bella inter ipsos exoriuntur: singuli tamen pagi consilium quoddam è senioribus cogere consueverunt, in quibus deliberant de iis quæ facienda sunt:

nec tamen uni alicui parent, sed varios duces pro re nata constituunt, quibus libere obediunt & prout libet.

Religionis forma ipsis nulla, nullum numen agnoscunt, diabolum tamen superstitiose venerantur sub nomine *Oqui*; quanquam & ambiguum est, an eo nomine dæmones designent, siquidem omnia quæ communem rationem excedunt, aut quæ admirantur, eodem nomine appellant: Eodem & divinatores suos & hariolos atque magos appellant (qui apud Algommequinos & Montagnetas *Manitones* appellantur:) ii & Medicinam & chirurgicam exercent, futura prædicunt, & miris illusionibus miseros infatuunt: methodus medendi plane ridicula est, nam fere choreis & cantillationibus ægros delectant, & computationibus tempus terunt. 10

Hyeme, (quæ hic ab initio Decembris durat ad finem Martii) ut plurimum genio indulgent, & vicinos pagos advocant ad choreas & cantationes, (*Tabagos* vocant hæc festa,) ita ut interdum quingenti barbari conveniant cum conjugibus & filiabus, quæ tum potissimum dant operam ut bene ornatae prodeant: eodem tempore multi personati vagantur, qui ostiatim saltant & canunt, & à singulis familiis nominatim petunt ea quibus maxime capiuntur, quæ petentibus denegare inurbanum putant.

### C A D I A sive A C A D I A.

#### C A P. XIV.

*Nova Franciæ partes quæ austrum respiciunt, quas Galli CADIE sive ACADIE vocant.* 20

**H**Actenus illas N. Franciæ regiones profecuti sumus quæ magnum flumen Canadense attingunt, nunc ad eas transeundum quæ Oceano alluuntur & austrum aspiciunt: sed antequam eo descendamus, pauca dicenda sunt de ora quæ orientem spectat & freto S. Laurentii pulsatur. In huius oræ Septentrionali parte è regione Insulæ Assumptionis, octo & quadraginta gradibus & XLV scrup. ab Æquatore, Gaspé sive Gachepe portus jacet, Gallorum navigationibus jam notissimus, sinum aperiens quatuor leucas in ipso aditu latum, & septem octove intra continen- 30 tem se recipientem; in quem fluvius exit in mediterraneis ortus & circiter xxx mill. per plana descendens. A promontorio S. Laurentii ad hunc portum LXX aut LXXV mill. numerant. Haud longe ab hoc portu versus austrum angusta cervice promontorium se exserit, statimque retractum, alterum pandit sinum, tria milliaria latum, & pene totidem profundum, vulgo *Baye de Morues*: huic objacet versus austrum *Insula Perforata*, instar scopuli utrimque erecta & per medium divisa, exili alveo, qui non nisi scaphis, ubi æstus implevit, navigatur: hæc insula tam vadoso freto & tantum quingentos passus lato à continente dividitur, ut æstu minuente pene siccis pedibus transiri possit.

Hinc continens magis versus Africum, inflexo littore grandem sinum admittit (*Quarterio Colfo de Chaleur*) cujus os ad quindecim leucas patet, freto in quibusdam 40 locis quinquaginta & plures orgyas alto: dextrum latus assurgit in nemorosa juga, lævum planum est & raris arboribus vestitum: medium sinus abest ab Æquatore septem & quadraginta gradus & xxx scrupul. Sinum claudit ad austrum Promontorium *Spei Quarterio*; juxta quod fretum *S. Lunarii*, sese aperit. Reliqua ora ad fretum quod Insulam *S. Laurentii* à continente dividit tantum obiter cognita, & ob breviam aditu difficilior est.

*Cadia* pars continentis, triangularis est formæ, basis illius, quæ longissima, adspicit austrum, & inter portum *Campsean* & promontorium *Furcatum*, ab ortu exporrigitur in occasum: reliqua duo latera post varios anfractus & recessus sensim se adducunt, donec ad occasum quidem circa interiora sinus Francici, ad ortum vero Freti 50 *S. Lunarii*, pene coeant; qui duo sinus exiguo terræ spacio disjuncti hanc provinciam pene Insulam efficiunt. Orientale latus obiter jam ante attigimus; ad cornu basis, jacet *Campsean*, celebris portus, à duabus insulis veluti occlusus, & propter breviam & cautes, æstuanisque & fervens mare difficilior aditu: distat ab Insula *S. Laurentii* circiter octo milliariis ab æquatore quinque & quadraginta grad. & xx scrupul.

Ad hoc portu versus occasum ad portum *de Savalette* numerantur sex milliaria. à Sana-

Gaspé.

Ile Per-  
céeC. d'Es-  
perance.

Campsean.

à Sanalette ad Insulas, quæ magno numero continenti ordine objacent, & exilibus canalibus separantur, milliar. quatuor: ab his ad viridem insulam sex aut septem: è regione hujus exit modicus amnis cui ab insula viridi agnomen datum: ab illa porro ad sinum omnium Insularum, sex mill. Toto hoc spacio littus omne pluribus scopulis, qui fere integrum milliare in altum descendunt, obsidentur, & mare supra modum fervet. Quatuordecim ab hoc sinu milliar. portus *S. Helena* aditur qui distat ab æquatore quadraginta & quatuor grad. & x. scrupul. huic parva insula objacet exili admodum freto & quod æstu refluxente vado transitur, à continente diremtra. Ab hac ad *Sesambren* insulam sunt octo milliar. interest amplissimus sinus qui à salubritate à-  
 10 ris Gallis dicitur *Baye Saine*.

Isles Ran-  
gees.

Sesambre

A *Sesambre* ad fluvium *S. Margareta*, qui distat ab Æquatore quatuor & quadraginta gradus & viginti quinque scrupul. seseque exonerat in mare ex adverso martyrum insularum; septem milliar. Octo ab his milliar. Promontorium *de la Heve* exit in altum, pone quod portus jacet eodem nomine, quatuor & quadraginta gradibus & quinque scrupul. ab Æquatore, ubi tuto anchoræ figuntur. adjacet parva Insula, longa quidem sed angusta, arboribus vestita: à qua versus ortum sinus irrupit in continentem, minores aliquot insulas nemorosas gremio suo comprehensens. Proximus jacet portus *Rosignol*, ab insula objecta pene occlusus, in quem modicus amnis descendit à media inter occidentem & arctum plaga, viginti, quin-  
 20 que circiter milliarum iter ab ortu suo emensus. Hinc ad portum *Ovium* ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum septem milliaria numerantur: circularis hic est formæ, parvaque insula ori illius objecta clausus, duabus faucibus mare admittens, quarum primæ quæ versus septentriones vergunt tantum duas orgyas, alteræ quæ ad austrum spectant tres quatuorve, ipse sinus septem aut octo altus: in medio sex minores insulæ sparsæ; duos exiles amniculos recipit: ora quæ ambit tota nemorosa est & propter vicinas paludes magna hic cervorum aliarumque ferarum copia. Hinc ad portum *Nigritarum*, à vicino promontorio *Cap Negre*, de-  
 30 cem milliar. objacet enim promontorio rupes, quæ eminens inspecta, caput nigritæ haud male refert. Hactenus ora maritima humilior est & pumulis arboretis atque fruticetis obsita; insulæque innumeræ vel potius rupes passim objectæ, omni ferarum genere re fertæ.

Port au  
Mourôs.Port Ne-  
gré.

Haud longe hinc jacet sinus arenosus, peropportuna statio; duoque versus occasum milliaria Promontorium arenarum, ob vada & rupes, quæ ultra milliare in altum se projiciunt, imprimis vitandum. Hinc ad Insulam corvorum marinorum, ob insignem illarum avium copiam, unius leucæ trajectus; & è regione jacet sinus, duo aut tria milliaria in continentem irrumpens, vulgo *la Baye courante*; à quo ad extremum hujus oræ promontorium, quod vocant *Furcatum* duo sunt milliaria. Multæ hic insulæ vastè in altum projectæ & quatuor quinqueve milliarium intervallo à continente disiunctæ, multæ itidem rupes, ipseque oceanus fluctuosus atque fervens: harum insularum aliæ ab avium earundem multitudine *Isles aux Tanguoux*; aliæ à piscibus illis, quos veteres Phocas vocabant secundum Bellonium, *Isles aux Loups marins* Gallis dicuntur, ad altitudinem trium & quadraginta graduum & triginta scrupul. Hactenus littora australia ad occidentem pertinent.

Baye de  
Sable.I. des  
Cormo-  
rans.C. Four-  
chu.

## CAP. XV.

*Descriptio oræ Accadiæ quæ ad Aquilonem deflectitur  
 & de Portu Regali.*

50 **I**Vxta Promontorium *Furcatum*, portus est qui à promontorio nomen mutuatur, in ipso quidem aditu satis altus & navium stationi opportunus, sed in interiori gremio relabente æstu siccus, præter elicem modici amnis, qui per lætissima pascua descendens hic exit. Hinc jam ora leniter versus septentriones deflectitur, ad novem aut decem milliaria: nulli hic portus majorum navigiorum patientes; sed aliquot recessus & littora multis insulis aut scopulis, vadisque impedita, usque ad Insulam longam, inter Africum & Boream in longum exprorectam, ad ipsos magni

sinus Francici, ut vocant, fauces: sex milliaria in longitudinem, vix unum in latitudinem patet, tota nemorosa & ob vada & rupes aditu perdifficilis: æstus hic admodum fervet, præsertim in alveo qui insulam à continente dividit, unde *le passage Courant* à Gallis appellatur. E regione Insulæ continens mari in semet admisso, sinum & turri-  
 10  
 20  
 30  
 40  
 50  
 60  
 70  
 80  
 90  
 100  
 110  
 120  
 130  
 140  
 150  
 160  
 170  
 180  
 190  
 200  
 210  
 220  
 230  
 240  
 250  
 260  
 270  
 280  
 290  
 300  
 310  
 320  
 330  
 340  
 350  
 360  
 370  
 380  
 390  
 400  
 410  
 420  
 430  
 440  
 450  
 460  
 470  
 480  
 490  
 500  
 510  
 520  
 530  
 540  
 550  
 560  
 570  
 580  
 590  
 600  
 610  
 620  
 630  
 640  
 650  
 660  
 670  
 680  
 690  
 700  
 710  
 720  
 730  
 740  
 750  
 760  
 770  
 780  
 790  
 800  
 810  
 820  
 830  
 840  
 850  
 860  
 870  
 880  
 890  
 900  
 910  
 920  
 930  
 940  
 950  
 960  
 970  
 980  
 990  
 1000  
 1010  
 1020  
 1030  
 1040  
 1050  
 1060  
 1070  
 1080  
 1090  
 1100  
 1110  
 1120  
 1130  
 1140  
 1150  
 1160  
 1170  
 1180  
 1190  
 1200  
 1210  
 1220  
 1230  
 1240  
 1250  
 1260  
 1270  
 1280  
 1290  
 1300  
 1310  
 1320  
 1330  
 1340  
 1350  
 1360  
 1370  
 1380  
 1390  
 1400  
 1410  
 1420  
 1430  
 1440  
 1450  
 1460  
 1470  
 1480  
 1490  
 1500  
 1510  
 1520  
 1530  
 1540  
 1550  
 1560  
 1570  
 1580  
 1590  
 1600  
 1610  
 1620  
 1630  
 1640  
 1650  
 1660  
 1670  
 1680  
 1690  
 1700  
 1710  
 1720  
 1730  
 1740  
 1750  
 1760  
 1770  
 1780  
 1790  
 1800  
 1810  
 1820  
 1830  
 1840  
 1850  
 1860  
 1870  
 1880  
 1890  
 1900  
 1910  
 1920  
 1930  
 1940  
 1950  
 1960  
 1970  
 1980  
 1990  
 2000  
 2010  
 2020  
 2030  
 2040  
 2050  
 2060  
 2070  
 2080  
 2090  
 2100  
 2110  
 2120  
 2130  
 2140  
 2150  
 2160  
 2170  
 2180  
 2190  
 2200  
 2210  
 2220  
 2230  
 2240  
 2250  
 2260  
 2270  
 2280  
 2290  
 2300  
 2310  
 2320  
 2330  
 2340  
 2350  
 2360  
 2370  
 2380  
 2390  
 2400  
 2410  
 2420  
 2430  
 2440  
 2450  
 2460  
 2470  
 2480  
 2490  
 2500  
 2510  
 2520  
 2530  
 2540  
 2550  
 2560  
 2570  
 2580  
 2590  
 2600  
 2610  
 2620  
 2630  
 2640  
 2650  
 2660  
 2670  
 2680  
 2690  
 2700  
 2710  
 2720  
 2730  
 2740  
 2750  
 2760  
 2770  
 2780  
 2790  
 2800  
 2810  
 2820  
 2830  
 2840  
 2850  
 2860  
 2870  
 2880  
 2890  
 2900  
 2910  
 2920  
 2930  
 2940  
 2950  
 2960  
 2970  
 2980  
 2990  
 3000  
 3010  
 3020  
 3030  
 3040  
 3050  
 3060  
 3070  
 3080  
 3090  
 3100  
 3110  
 3120  
 3130  
 3140  
 3150  
 3160  
 3170  
 3180  
 3190  
 3200  
 3210  
 3220  
 3230  
 3240  
 3250  
 3260  
 3270  
 3280  
 3290  
 3300  
 3310  
 3320  
 3330  
 3340  
 3350  
 3360  
 3370  
 3380  
 3390  
 3400  
 3410  
 3420  
 3430  
 3440  
 3450  
 3460  
 3470  
 3480  
 3490  
 3500  
 3510  
 3520  
 3530  
 3540  
 3550  
 3560  
 3570  
 3580  
 3590  
 3600  
 3610  
 3620  
 3630  
 3640  
 3650  
 3660  
 3670  
 3680  
 3690  
 3700  
 3710  
 3720  
 3730  
 3740  
 3750  
 3760  
 3770  
 3780  
 3790  
 3800  
 3810  
 3820  
 3830  
 3840  
 3850  
 3860  
 3870  
 3880  
 3890  
 3900  
 3910  
 3920  
 3930  
 3940  
 3950  
 3960  
 3970  
 3980  
 3990  
 4000  
 4010  
 4020  
 4030  
 4040  
 4050  
 4060  
 4070  
 4080  
 4090  
 4100  
 4110  
 4120  
 4130  
 4140  
 4150  
 4160  
 4170  
 4180  
 4190  
 4200  
 4210  
 4220  
 4230  
 4240  
 4250  
 4260  
 4270  
 4280  
 4290  
 4300  
 4310  
 4320  
 4330  
 4340  
 4350  
 4360  
 4370  
 4380  
 4390  
 4400  
 4410  
 4420  
 4430  
 4440  
 4450  
 4460  
 4470  
 4480  
 4490  
 4500  
 4510  
 4520  
 4530  
 4540  
 4550  
 4560  
 4570  
 4580  
 4590  
 4600  
 4610  
 4620  
 4630  
 4640  
 4650  
 4660  
 4670  
 4680  
 4690  
 4700  
 4710  
 4720  
 4730  
 4740  
 4750  
 4760  
 4770  
 4780  
 4790  
 4800  
 4810  
 4820  
 4830  
 4840  
 4850  
 4860  
 4870  
 4880  
 4890  
 4900  
 4910  
 4920  
 4930  
 4940  
 4950  
 4960  
 4970  
 4980  
 4990  
 5000  
 5010  
 5020  
 5030  
 5040  
 5050  
 5060  
 5070  
 5080  
 5090  
 5100  
 5110  
 5120  
 5130  
 5140  
 5150  
 5160  
 5170  
 5180  
 5190  
 5200  
 5210  
 5220  
 5230  
 5240  
 5250  
 5260  
 5270  
 5280  
 5290  
 5300  
 5310  
 5320  
 5330  
 5340  
 5350  
 5360  
 5370  
 5380  
 5390  
 5400  
 5410  
 5420  
 5430  
 5440  
 5450  
 5460  
 5470  
 5480  
 5490  
 5500  
 5510  
 5520  
 5530  
 5540  
 5550  
 5560  
 5570  
 5580  
 5590  
 5600  
 5610  
 5620  
 5630  
 5640  
 5650  
 5660  
 5670  
 5680  
 5690  
 5700  
 5710  
 5720  
 5730  
 5740  
 5750  
 5760  
 5770  
 5780  
 5790  
 5800  
 5810  
 5820  
 5830  
 5840  
 5850  
 5860  
 5870  
 5880  
 5890  
 5900  
 5910  
 5920  
 5930  
 5940  
 5950  
 5960  
 5970  
 5980  
 5990  
 6000  
 6010  
 6020  
 6030  
 6040  
 6050  
 6060  
 6070  
 6080  
 6090  
 6100  
 6110  
 6120  
 6130  
 6140  
 6150  
 6160  
 6170  
 6180  
 6190  
 6200  
 6210  
 6220  
 6230  
 6240  
 6250  
 6260  
 6270  
 6280  
 6290  
 6300  
 6310  
 6320  
 6330  
 6340  
 6350  
 6360  
 6370  
 6380  
 6390  
 6400  
 6410  
 6420  
 6430  
 6440  
 6450  
 6460  
 6470  
 6480  
 6490  
 6500  
 6510  
 6520  
 6530  
 6540  
 6550  
 6560  
 6570  
 6580  
 6590  
 6600  
 6610  
 6620  
 6630  
 6640  
 6650  
 6660  
 6670  
 6680  
 6690  
 6700  
 6710  
 6720  
 6730  
 6740  
 6750  
 6760  
 6770  
 6780  
 6790  
 6800  
 6810  
 6820  
 6830  
 6840  
 6850  
 6860  
 6870  
 6880  
 6890  
 6900  
 6910  
 6920  
 6930  
 6940  
 6950  
 6960  
 6970  
 6980  
 6990  
 7000  
 7010  
 7020  
 7030  
 7040  
 7050  
 7060  
 7070  
 7080  
 7090  
 7100  
 7110  
 7120  
 7130  
 7140  
 7150  
 7160  
 7170  
 7180  
 7190  
 7200  
 7210  
 7220  
 7230  
 7240  
 7250  
 7260  
 7270  
 7280  
 7290  
 7300  
 7310  
 7320  
 7330  
 7340  
 7350  
 7360  
 7370  
 7380  
 7390  
 7400  
 7410  
 7420  
 7430  
 7440  
 7450  
 7460  
 7470  
 7480  
 7490  
 7500  
 7510  
 7520  
 7530  
 7540  
 7550  
 7560  
 7570  
 7580  
 7590  
 7600  
 7610  
 7620  
 7630  
 7640  
 7650  
 7660  
 7670  
 7680  
 7690  
 7700  
 7710  
 7720  
 7730  
 7740  
 7750  
 7760  
 7770  
 7780  
 7790  
 7800  
 7810  
 7820  
 7830  
 7840  
 7850  
 7860  
 7870  
 7880  
 7890  
 7900  
 7910  
 7920  
 7930  
 7940  
 7950  
 7960  
 7970  
 7980  
 7990  
 8000  
 8010  
 8020  
 8030  
 8040  
 8050  
 8060  
 8070  
 8080  
 8090  
 8100  
 8110  
 8120  
 8130  
 8140  
 8150  
 8160  
 8170  
 8180  
 8190  
 8200  
 8210  
 8220  
 8230  
 8240  
 8250  
 8260  
 8270  
 8280  
 8290  
 8300  
 8310  
 8320  
 8330  
 8340  
 8350  
 8360  
 8370  
 8380  
 8390  
 8400  
 8410  
 8420  
 8430  
 8440  
 8450  
 8460  
 8470  
 8480  
 8490  
 8500  
 8510  
 8520  
 8530  
 8540  
 8550  
 8560  
 8570  
 8580  
 8590  
 8600  
 8610  
 8620  
 8630  
 8640  
 8650  
 8660  
 8670  
 8680  
 8690  
 8700  
 8710  
 8720  
 8730  
 8740  
 8750  
 8760  
 8770  
 8780  
 8790  
 8800  
 8810  
 8820  
 8830  
 8840  
 8850  
 8860  
 8870  
 8880  
 8890  
 8900  
 8910  
 8920  
 8930  
 8940  
 8950  
 8960  
 8970  
 8980  
 8990  
 9000  
 9010  
 9020  
 9030  
 9040  
 9050  
 9060  
 9070  
 9080  
 9090  
 9100  
 9110  
 9120  
 9130  
 9140  
 9150  
 9160  
 9170  
 9180  
 9190  
 9200  
 9210  
 9220  
 9230  
 9240  
 9250  
 9260  
 9270  
 9280  
 9290  
 9300  
 9310  
 9320  
 9330  
 9340  
 9350  
 9360  
 9370  
 9380  
 9390  
 9400  
 9410  
 9420  
 9430  
 9440  
 9450  
 9460  
 9470  
 9480  
 9490  
 9500  
 9510  
 9520  
 9530  
 9540  
 9550  
 9560  
 9570  
 9580  
 9590  
 9600  
 9610  
 9620  
 9630  
 9640  
 9650  
 9660  
 9670  
 9680  
 9690  
 9700  
 9710  
 9720  
 9730  
 9740  
 9750  
 9760  
 9770  
 9780  
 9790  
 9800  
 9810  
 9820  
 9830  
 9840  
 9850  
 9860  
 9870  
 9880  
 9890  
 9900  
 9910  
 9920  
 9930  
 9940  
 9950  
 9960  
 9970  
 9980  
 9990  
 10000

Port  
 Royal.

Ab Insula longa littus magis versus Boream retrocedit usque ad *Portum Regalem*, nulli sive amplitudinem sive bonitatem spectes facile secundum, unde & nomen meruit; distat ab æquatore quinque & quadraginta gradus. Fauces illius patent octingentos passus, ipse portus bina in longitudinem, unum in latitudinem milliari; vel millium navium capax & adversus incerta ventorum egregie tutus: tres amnes in illum effluunt, quorum unus satis amplus & vulgo *de l'Equille*, à pisciculorum qui ibidem capiuntur copia ita dictus; ab oriente descendens longa terrarum spacia emetitur; ab ipso ostio, quod quadrantem milliariis patet & in duas veluti fauces, ab objecta insula arborifera & amœnissima, dividitur, modicis navigiis ad sedecim milliaria ascenditur, ubi alveus adhuc sexaginta passus latus & octodecim pedes altus; ripa utraque arborifera insignes fagos & fraxinos nutrit.

Alter *S. Antonii* nomine notus, portum subeuntibus ad dexteram, exilior est & ab insula objecta clauditur; imminet ripis nemus, densitate sua commercium inter hunc portum & sinum *S. Mariæ* impediens. Tertius ad idem latus, quia ob vada & rupes ori illius obversantes, navigiis adiri nequit, vocant *Ruisseau de la Roche*. Galli hic anno 1610 sedes fixerant, uti paulo post dicemus.

A Portu Regali littus adhuc magis versus boream declinat, ad promontorium *Poutrincourtii* & altitudinem quinque & quadraginta graduum & XL scrupul. ubi mare in sinum sese infundit, qui viginti milliaria ambitu suo complectitur, longior multo, quam latior, in intimo recessu amnem exilem & aliquot torrentes excipiens: E regione Promontorii & ad lævum sinus jam dicti latus, portus jacet, *Port aux mines* vulgo, ab æris metallis dictus, quæ bis quotidie à fluctibus operiuntur. Atque hic Continens longo atque angusto tramite inter duos sinus producit & promontorium, vulgo *Cap de deux Bayes*, à re dictum, facit: ulterior autem sinus, vulgo *Baye de Gennes*, mare per fauces quinque milliaria latus, admissum, interius amplissimo ambitu deducit; duoque flumina recipit, unum ab ortu solis, alterum ab Arcto descendens, & haud longe à freto *S. Lunarii* cum dextero Peninsulæ lateje pene coit, & *Cadiæ* limites in conum fastigiat.

## C A P. XVI.

*Souriquosiorum, qui hic incolunt, mores, instituta, idioma.*

**C**Adiæ sive Acadia indigenæ, maxime qui circa Portum Regalem degunt, Souriquosii appellantur: statura corporis sunt mediocri, membris bene compositis, sine ulla deformitate. colore ut cæteri fere barbari subfusco, ob causas alibi commemoratas: quodque barbaris qui sub Torrida zona degunt formæ decus, simis naribus hic admodum rari; capillo ut plurimum nigro, rarissime alterius coloris, nisi forte interdum rufo aut qui castaneis est: barbam non nisi primores alunt, cæteri radicitus evellunt: cæterum cultu corporum, vestitu atque victu, à cæteris barbaris de quibus jam egimus nihil discrepant. æstate piscibus, hyeme ferina victitant: panis usum quum neque serant neque metant, penitus ignorabant, donec à Gallis edocti, triticum, farinam & legumina in cibum adhibere cæperunt, quæ pellicum commercio jam

jam commutant. Parent suis Regulis, quos *Sagamos* vocant; eadem ipsis veri Dei ignorantia quæ cæteris, nullaque veneratio aut religionis usquam forma. Magos suos habent atque divinatores quos *Autmoins* appellant, tanta dignatione, ut ipsi Reguli plerumque id muneris obeant: dæmonis oraculum hi consulunt & ipso præeunte futura prænuntiant, ambiguis plerumque responsis, interdum & veris: hunc consulti, scrobem effodiunt & in illa stipitem figunt & fune alligato se prosternunt & ore in scrobem verso, mirabiles gestulationes, evocationes & conjurationes adhibent, tanto corporis motu ut largum sudorem eliciant; his perfuncti & dæmonem advenisse & se illum fune constrictum tenere misero popello persuadent, atque illius indicio vaticinantur. Idem & medicorum & chirurgorum munia obeunt: ad ægros vocati, invocato prius dæmonio, partes affectas tentant, halitu suo humectant, interdum & venam secant & sanguinem exsugunt: eadem pene methodo in vulneribus curandis utuntur; & postquam sanguinem exsuxerint, pellicula genitalibus Castorum detracta, obligant; neutrum gratis, ferina aut pellibus ab ægris ubi convalescunt donantur.

Hæc gens idiomate multum discrepat à Canadensibus & reliquis barbaris qui continentem N. Franciæ incolunt, cujus pauca vocabula è multis, hic inferere haud abs re fuerit. Numeros usque ad decem ita efferunt. 1. *Negout.* 2. *Tabo.* 3. *Chicht.* 4. *Neou.* 5. *Nan.* 6. *Kamachin.* 7. *Eroeguenick.* 8. *Meguemorchin.* 9. *Eghkonadeck.* 10. *Metren.* Annos per Soles numerant *Cach' metren Achteck* centum anni: menses per Lunas, *Metren Knich Kaminau*, decem lunæ. Diversas anni tempestates ab effectis aut proprietatibus circumscribunt, *Nibir betour*, id est ubi frondes pullularint, pro verno tempore: ita & in cæteris. Partibus humani corporis hæc apud illos nomina sunt:

Caput	<i>Menougi.</i>	Capilli	<i>Monzabon.</i>	Aures	<i>Seckdoagan.</i>
Frons	<i>Tegoeja.</i>	Oculi	<i>Nepiguigour.</i>	Supercilia	<i>Nitkou.</i>
Nasus	<i>Chichkon.</i>	Os	<i>Meton.</i>	Labia	<i>Nekovi.</i>
Dens	<i>Nebidie.</i>	Lingua	<i>Nirnon.</i>	Barba	<i>Migidion.</i>
Gula	<i>Chidon.</i>	Collum	<i>Chitigan.</i>	Brachium	<i>Pisguchan.</i>
Manus	<i>Nepeden.</i>	Digiti	<i>Troeguen.</i>	Venter	<i>Migedi.</i>
Umbelicus	<i>Niri.</i>	Pudenda viri	<i>Carcaria</i> aut <i>Ircay.</i>	Fæminæ	<i>Match.</i>
Testes	<i>Nereron</i> aut <i>Marios.</i>	Anus	<i>Menogoy.</i>	Genua	<i>Cagiguen.</i>
Crura	<i>Mecat.</i>	Pedes	<i>Nechit.</i>		

Sexum & cognationes ita distinguunt.

Vir	<i>Metaboviou</i> aut <i>Kessona.</i>	Fœmina	<i>Meboviou.</i>	Pater	<i>Nouchick.</i>
Mater	<i>Nekich.</i>	Frater	<i>Skinetch.</i>	Soror	<i>Nekicht.</i>
Filius	<i>Nekovis.</i>	Filia	<i>Netouch</i> aut <i>Pecenemouch.</i>	Nepos	<i>Neroux.</i>

Elementa & quæ ex illis composita, ita nominant:

Ignis	<i>Bucktoum.</i>	Terra	<i>Megamingo.</i>	Lapis	<i>Knoudou.</i>
Pulvis	<i>Pechau.</i>	Mons	<i>Pamdemour.</i>	Aqua	<i>Chabavian</i> aut <i>Orenpeoc.</i>
Cœlum	<i>Oüajeck.</i>	Sol	<i>Achteck.</i>	Luna	<i>Knichkaminau.</i>
Stella	<i>Kerkooeth.</i>	Lignum	<i>Kemouch</i> aut <i>Makia.</i>	Cortex	<i>Bovoüac.</i>
Folium	<i>Nibir.</i>	Sylva	<i>Nimbeck.</i>		

Armorum nomina: Arcus *Tabi.* Sagitta *Pomio.* Culter *Houïagan.*

Mechanicarum artium haud plane sunt rudes, nam & imagines quasdam barbarico ritu sculpunt, non tamen ut idola venerantur. Cantilenas quasdam in festivitibus suis, quæ *Tabagia* vocant, ut & aliàs adhibent & ad modulos earundem aut terram pede feriunt aut subsiliunt; iisdem & magi ipsorum utuntur. *Escarbotus* Gallus illarum aliquot cum suis modulis exhibet, nos hic unam apponemus.



Tameja alle luya tameja douvem hau hau hé hé.

Cantilena autem absoluta præsentis omnes accinunt aut acclamant. Hé é é é. Mirum autem unde his vox Alleluya, quam tamen aliquoties perfecte à se auditam *Escarbotus* testatur, penes quem fides sit. Atque hæc de Barbaris, nunc reliquum continentis persequamur.

*Continens Novæ Franciæ usque ad flumen Pemtegoüet.*

**E** Regione Promontorii duorum Sinuum, ad Australem Continentis plagam, notat Champlanius in Tabula sua Geographica, flumen S. Ludovici, cujus tamen sub hoc nomine nusquam in scriptis suis meminit; licet circa hæc loca exilem amnem & cymbarum tantum patientem memoret, juxta quem ferri metalla reperiantur: quatuor ab hoc milliariibus versus Zephyronotum (ad hanc enim plagam littora declinant) angulus terræ prominet, objectis cautibus & ferventi æstu, navigijs fallax; & juxta illum modicus sinus jacet ferri venis notus: nec procul alius sinus & insulæ aliquot continenti objectæ, usque ad Promontorium Rubrum, pone quod, pulcherrimus amnis effluit; quinque & quadraginta gradibus & quadraginta scrupulis ab æquatore; barbari vocant *Ouygoudy*, Galli *Sancti Joannis*, non sine discrimine tamen hic aditur, propter vada & cautes, angulosque prominentes: ore est angusto, licet sedecim nonnusquam orgyas alto, sensim deducit ripas, rursusque adducit, juxta cornu quoddam terræ, ubi inter duarum rupium angustias cito cursu cataractæ in modum eluctatur, nec facile nisi quum æstus implevit navigijs superatur; dein rursus in latitudinem unius milliariis se pandit, quam dudum servat: barbari hac via ad Tadoufac se penetrare narrant, lintres brevi terræ spacio in humeros sublatis transferendo. Salmonum captura celebratur hic fluvius, & ferri metallis. Ostio fluminis versus occidentem adjacet Insula, quam Galli à forma, *la Nef*, id est navem appellant; & oram legentibus aliæ atque aliæ insulæ occurrunt, quarum una, quæ sex milliaria ambit, *Manthane* à barbaris nominatur. Hic Insularum veluti chorus in sinus gremio dispersus & crebris alveis intercisus, varios portus & stationes navigijs subministrat; hac quoque aditus ad flumen *Estecheminorum* patet & ad parvam insulam cui S. Crucis nomen indiderunt, quatuor & quadraginta gradibus & viginti scrupulis ab æquatore. Hic Galli sedes fixerant; quas post prima hiberna deseruerunt, uti mox dicemus. Præter flumen ab accolarum nomine *Estechemin* dictum, quod ab occidente descendit & insulam hanc utrimque lambit, alii duo exiliores amnes hic exeunt. Maio & Junio hic magna halecum copia subit: solum autem densis arborum & fruticum nemoribus undiquaque impeditum ideoque sementi faciendæ inidoneum, nisi sylvæ prius cædantur, tamen ubertatem quandam videtur promittere, si humanâ industriâ cultus accederet. Culices hic supra modum molesti sunt, quos ab humiditate soli gigni & lucorum densitate nutrirî haud dubium est.

Barbari qui hic degunt *Estechemines* appellantur, habitu corporis, moribus atque institutis Souriquosis plane similes, lingua discrepant, quod è numerorum nominibus, quæ hic ascribere visum, planum fiet. 1. *Bechkan*. 2. *Nich*. 3. *Nach*. 4. *Iau*. 5. *Prencht*. 6. *Chachit*. 7. *Contachit*. 8. *Eroviguen*. 9. *Pechcoquem*. 10. *Perock*. Neque dubium est in cæteris ad eundem modum discrepare.

Ab hoc sinu versus Norumbeguam per varios canales, inter innumeras insulas navigatur, quarum una cæteris paulo major, barbaris *Menane* dicitur, tria milliaria à Continenti divisa: cæteræ quæ viginti quinque milliarium spacio secundum littus sparguntur, communi quidem nomine *Isles Rangees*, sed & peculiaribus nominibus à Gallis insigniuntur, quæ hic recensere longum esset. Harum extima & ad ostium fluminis Pemtegoüet sita, patet in longitudinem quatuor aut quinque milliaria & dividitur à continenti angusto freto; ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum & xxx scrupul. tota consurgit in juga, quæ inter se divisa septem aut octo montium speciem eminus ostentant, circa verticem nuda & meræ cautes; unde Gallis *Isle des monts deserts* dicitur. Littus omne à variis sinibus & promontoriis laceratur.



*De flumine Pemtegoüet, quod multi Norumbeguam opinantur;  
veterum errores notati.*

**Q**VI superioribus annis de hisce regionibus scripserunt, multa fabulati sunt de celebri oppido & flumine *Norumbegua*, barbaris *Agguncia*; quæ hodie longe secus deprehenduntur, neque verisimile est hic umquam tale quid fuisse: interea, si altitudinis quam designant & aliarum circumstantiarum ratio ineatur, haud  
 1<sup>o</sup> dubium est, illos de hoc flumine locutos, quod barbaris, ut Gallis quidem placet, *Pemtegoüet* dicitur, ut Anglis autem *Pennobscot*. Ostio autem illius variæ insulæ obja-cent, decem aut duodecim milliari. à continente in altum projectæ, ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum: ipsum octo novemve milliaria in latitudinem patet: dextroque illius angulo Insula montium desertorum prætexitur; lævus in planiciem stratus à barbaris vulgo appellatur *Bedabedec*: intermedium spacium multæ occupant insulæ, quarum extima vaste sese attollens Gallis *Isle Haute* dicitur, flumen subituris vel maxime observanda. Flumen haud supra viginti milliaria navigiis ascendi potest, propter cataracten de quo unda præceps ruit. Haud procul ab ostio ad lævam fluminis ripam, solum in immania juga erigitur, cætera planum & fertile, mul-  
 2<sup>o</sup> tis arboribus & præsertim abietibus utrimque vestitum: nulla hic oppida, raristan-tum barbarorum mapalibus accolitur, quæ è tignis contexta & arborum corticibus tecta sunt. Barbari qui hic degebant quum Champlanius flumen lustraret, de gente Estechemina se esse profitebantur: neque tamen statas sedes habere videntur, sed crebro prout aut venatio aut piscatura invitatur, mutare. duobus tum Regulis parebant, quorum uni *Bessabez*, alteri *Cabahis* nomen erat, qui Champlanium satis benigne barbarico ritu exceperunt. Porro usitatum videtur hisce gentibus, non modo locum crebro mutare, sed & nomen, secundum Regulorum mutationem, à quibus ut plurimum nomen genti mutuare solent: Atque hinc fit, scriptores pro temporum discrepantia in gentium nominibus prodendis plurimùm inter se dissentire: Anglorum  
 3<sup>o</sup> enim præfectus *Ioannes Smithus*, in huius fluminis descriptione, *Bessabeos* nominat (à Reguli *Bessabez* haud dubio nomine) & *Tarantinos* de quibus apud Gallos altum silentium. Cæterum hujus flu. accolæ, habitu corporis, cæterisque moribus & institutis, nihil ab aliis barbaris, de quibus jam egimus, differunt: ut mirum videri possit unde superioris seculi scriptoribus in mentem venerit tam magnifica de urbe *Norumbegua* referre.

A *Pemtegoüet* ad *Quinnibequin* numerantur versus occasum milliaria quinque & viginti; toto hoc intervallo multæ insulæ obja-cent continenti, & medio fere amplif-  
 4<sup>o</sup> simus se pandit sinus, in multos canales & insulas divisus: è regione autem ostii flu-  
 minis *Quinnibequi*, jacet insula leniter convexa, atque ob id Gallis *la Tortue* id est  
 Testudo: inter hanc & Continentem cæcæ rupes & vada intersunt, ubi fluctus mi-  
 rum in modum fervent. In ipso ostio flu. binæ utrimque insulæ, plures in interiori  
 alveo ripis adjacent, non sine discrimine propter frequentia vada & cautes, rapidum-  
 que cursum, navigiis ascenditur: solum quod utrimque lambit effætum & crebris  
 rupibus asperum, non nisi pumilas quercus fert, rara habet pascua, aut arva sementi  
 faciendæ idonea.

Barbari qui hoc flumen accolunt, habitu & moribus à cæteris nihil differunt, pisci-  
 bus, quos flumen abunde subministrat, & ferina vitam tolerant, terram se colere  
 & sementem facere, sicuti alii qui magis ad austrum degunt, jam olim desuevisse nar-  
 rant, ob hostium vastationes, qui segetes illorum corrumpebant: descendit au-  
 5<sup>o</sup> tem flumen è mediterraneis & ab aquilone, primo exile, mox aliis rivulis & am-  
 nibus acceptis auctius, per varios anfractus, interque insulas modo placidum, modo  
 pernix devolvitur. Angli alio nomine *Sagadahoc* appellant, ut sequenti libro dicemus;  
 hic nobis propositum N. Franciæ descriptionem ex Francorum potissimum obser-  
 vationibus contexere.

B. S. Luc.

Fl. Quinnibequi


Sagadahoc.

*Flumen Chouacoët, habitus & mores Almouchiquosorum.*

**A** Flumine Quinnibequi quatuor milliar. versus austrum (flectit enim se ora in hunc modum) littus legentibus obuius fit Sinus, qui permultas insulas suo complectitur gremio, & ad continentem altissima montium conspiciuntur juga: hinc octo milliar. proVectis, flumen *Chouacoët* sese aperit, tribus & quadraginta gradibus & XLV scrupul. ab Æquatore; cum aliquot insulis in ipsis faucibus; quarum unam à vinearum multitudine, Galli quidem insulam *Bacchi*, nostrates vero *Wijn- 10* gaerden Eylandt vocant. Hæc duorum milliarium intervallo à continenti dirimitur, pulcherrimis quercubus & nucibus peramœna, arvisq; & satis valde opportuna. Flumen quâ exit, satis exile est, neque supra duas orgyas, ubi mare vel maxime implevit, altum, interius vero tres quatuorve; piscosum admodum: Solum secundum illius ripas uberrimum, pascuis lætum & ingentibus abjetibus, fagis, ulmis peramœne vestitum.

Barbari qui hic degunt ab aliis N. Franciæ indigenis, lingua & moribus multum discrepantes, *Almouchiquosy*, ut Champlanius scribit, appellantur. Capitis cæsariem à fronte ad summum verticem abradunt, in occipitio eandem alunt & in nodos adstrictam variis plumis ornant; faciem rubrica aut nigro colore illinunt; bene compositis membris sine ulla deformitate: arma ipsis sunt lanceæ, clavæ, arcus sagittæque 20 quas ferri inopia, monstrosi piscis *Signoc* crustacea cauda asperant. Hi agros colunt, secus quam reliqui barbari qui ad orientem ab ipsis degunt, & maizii sementem faciunt, & phaseolorum variis & elegantissimis coloribus distinctorum, quos eo ordine terræ mandant ut mayzii culmi pro perticis ipsis sint: Sata sua & vepretis circumsepiunt & studiose purgant: serunt Majo, metunt Septembri. Iuglandes hic multæ, sed nostris minores; vites infinitæ, è quarum uvis mense Iulio se optimum omphacium expressisse testantur Galli. Etiam cucurbitas & similes fructus serunt, Tabacum denique. Fixas sedes habent nec facile locum ut cæteri barbari, mutant, tuguria sua quercinis corticibus tegunt & crassis tignis in orbem communiunt adversus hostiles 30 impetus.

Quoniam jam monstrosi hujus piscis mentio incidit, qui toti huic mari perfamiliaris & frequens est, non abs re fuerit illum hic describere: & primum iconem illius convexa & concava parte satis accurate expressam apponere.



Piscis ergo hic *Signoc* vel *Siguenoc* barbaris, nostratibus *Aranæus Marinus* è Testaceorum est genere, duabus durissimis testis desuper tectus, quarum anterior patellæ instar convexa, admodum crassa, si non duplicata, circa frontem orbicularis & elegantissimè conformata, qua alteri conjungitur semilunæ in modum excisa: exteriori latere tuberculis quibusdam seu brevibus & obtusis aculeis, distinctis ordinibus, asperatur: posterior testa alterâ exilior, rumbiformis & utrimque dentata; adhæc foraminulis quibusdam pulchro ordine variegatur: cauda item testacea oblonga & reliquum corpus pene longitudine excedens, trigona & à sui medio ad cuspidem usque aculeis veluti ferrata & aspera. In convexa prioris patellæ parte fere circa medium duo illi sunt oculi, satis conspicui dum vita fungitur, ubi expiravit contractiores & cornea membrana obducti; plura crura habet instar Cancris & quidem primo octo breviora,

breviora, deinde bina oblongiora, & alia rursus bina breviuscula repanda, neque chelis armata, sed officulo obtuso veluti remigio instructa quibus natare creditur; duas præterea circa os exiguas admodum chelas, quibus mandit: sub posteriore crusta vesiculæ aliquot sibi invicem super impositæ, quæ haud secus inflantur quam ranarum buccæ solent. Littora & vada amant & in æstuariis potissimum capiuntur, varia mole; sunt enim non pauci quorum cauda palmum excedat: minor autem erat quem hic expressimus, unde factum ut omnes notæ quas descripsimus hic non tam evidenter appareant.

10 Fluminis ostio adjacet exigua insula arci extruendæ opportuna, ad quasvis naves aditu fluminis arcendas. Porro duo aut tria milliar. ab hoc flumine versus Eurum Promontorium jacet, & pone illud in recessu portus inter aliquot insulas, à quibus & nomen meruit; distat ab æquatore tres & quadraginta gradus & xxv. scrupul. Inde rursus prominens ora *Cap aux Isles* Gallis, idest promontorium Insularum facit: huic quippe aliquot nemorosæ insulæ adjacent, angusto freto à continente divisæ. Solum continentis frumenti & pabuli ferax; multa ibi arva barbarâ industriâ culta & arboribus grata varietate distincta. Barbari qui hic incolunt monoxulis lembis utuntur; cæterum habitu & moribus ab *Almouchiquosis* nihil aut parum differunt, idioma ipsorum variat.

20 Ultra hoc promontorium pulcherrimus sinus se aperit, peridoneum navibus portum præbens, unde & formosus Gallis appellatur; distat ab æquatore tres & quadraginta gradus. multi barbari juxta agunt & uberrima arva colunt: præterea torrentes aliquot, arva irrigantes, descendunt in hunc sinum. Octo à promontorio Insularum milliar. versus austrum, declive S. Ludovici promontorium in altum educitur, ad altitudinem duorum & quadraginta grad. & xlv scrupul. à quo versus septentriones sinus jacet, multis barbarorum tuguriis & arvis undiquaque cinctus, in quem mediocris amnis, è mediterraneis descendens, egreditur, quem Galli *Riviere du Gaz*, nostri ab arenis de *Sand Riviere* appellant: *Champlanius* ad lacum Yroquosiorum pertingere suspicatur & fortassis ex illo effluere. Ab hoc promontorio ora paulum retrocedit & cubiti instar (multis sinibus & recessibus prius factis) reflectitur ad Promontorium quod Galli *Cap Blanc*, Angli *Cab Cod*, nostrates Staeten-hoeck, id est, D. D. 30 Ordinum cornu vocant: de quo plura suo loco dicentur. In ipso littorum reflexu importuosus sinus est, ideoque à Gallis *Malebarre* dictus, in amplissimo recessu qui tria quatuorve milliaria patet, multis barbarorum mapalibus undiquaque cinctus, cum pulcherrimis arvis & satis, atque exili quidem amne sed potari pulcherrimo: ipse recessus ob frequentia passim vada mirum in modum æstuat ac fervet: ambiunt præterea sylvæ & luci proceris quercubus & benevolentibus cedris opacæ: Tabacum diligenter colunt accolæ: mapalia ipsorum rotunda sunt & storeis in ambitu operata, in medio focus, & circa fastigium foramen ad fumum emittendum. Hactenus ora N. Franciæ à Gallis anno c1010 cv accuratè lustrata pertinet.

40

## C A P. XX.

*Coloniæ Gallorum ad magnum flumen Canadense.*

DESCRIPTIONE regionum N. Franciæ absoluta, de Coloniis Gallorum & illorum gestis in hac septentrionalis Americæ parte, pauca adjungenda. **D** *Jacobus Quarterius* anno c1010 xxxiv à Francisco I. Franc. R. cum duabus navibus ad has terras missus, quum mense Aprili è Gallia solvisset, lustrato primum littore *Terræ Novæ*, in Fretum S. Laurentii penetravit, illoque in gyrum circumnavigato, insulaque *Assumptionis* & magni fluminis ostio, inventis, in Galliam sub exitum 50 Septembris rediit.

Secundam deinde expeditionem, mense Majo anni c1010 xxxv suscipiens, magnum flumen Canadense ascendit & minoribus navigiis ad *Hochelagam* penetravit, & Gallorum coloniam apud portum S. Crucis collocans, ibidem hibernavit. Atque hic incognitus quidem tunc, nunc autem notissimus scorbuti morbus, colonos tantopere afflixit, ut multi misere perirent, reliqui autem decocto frondium arboris cujusdam quam barbari *Anneddan* appellabant, sanitati restituti: interim variæ inter ipsum & barbaros

1535.

barbaros simultates eo usque exarserunt, ut Regulum ipsorum Donaconam ex infidiis captum & in naves impositum, secum in Galliam cum aliis nonnullis captivum abducere consultum judicaret: Quare erecta prius lignea cruce, & Regni Galliæ insignibus appensis cum hac inscriptione, FRANCISCVS PRIMVS DEI GRATIA FRANCORVM REX REGNAT, sub initium Iulii anno cIo Io xxxvi in Galliam est reversus. Intermittam de hinc navigationem, anno demum cIo Io xl, majore molimine Rex redintegavit, & plerisque barbarorum illorum jam defunctis, Ioannem quidem *Franciscum D. de Roberval* cum amplissima vice regentis potestate; *Quarterium* autem supremum Nauclerum ad provincias Canadæ & Hochelagæ ablegavit. *Quarterius* mense Maio cum quinque navibus è Gallia soluens, Augusto demum appulit ad portum *S. Crucis*, quem quum superioribus annis satis incommodum esset expertus, duabus navibus in Galliam remissis, cum reliquis tribus flumen quatuor miliar. ascendit & idoneum locum nactus, castellum communivit *Charlesbourgh Royal*, ubi cum suis hibernavit. Verum quum *Robervallius* non ante annum cIo Io xlii cum tribus navibus soluisset, *Quarterium* jam redeuntem cum suis navibus, juxta sinum Conceptionis ad orientalem Terræ novæ plagam obvium habuit: quem quum à reditu in Galliam dimovere non possêt (negabat quippe *Quarterius* barbarorum insolentiam à tam paucis compefci posse) progredi certus, & flumen Canadense invecus, quatuor supra Insulam Aurelianensem leucas ascendit mense Julio: ubi Castellum *France Roy* condidit, septem & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Arctum, ut *Ioannes* Alfonso illius nauclerus prodidit. Atque ira aliquot annis hic perstitit, variasque expeditiones suscepit, fluviumque *Sagenay* lustrare est aggressus. Quo anno in Galliam redierit, non traditur: sed à Rege, sumtum sine ullo aut ad modum levi emolumento, pertæso, esse revocatum scribit *Escarbotus*.

cap. iv. Tentatum dein simile quid, anno cIo Io xcviij, à Marchione *de la Roche*, sed infelici eventu, nam quum aliquot suorum in Insula *de la sable* pene destituisset (quos postea inde reductos supra monuimus) nihil præterea memoria dignum gessit.

## C A P. XXI.

*Colonia Gallorum in Australem Novæ Franciæ partem deducta.*

**P**OST Colonias jam aliquoties in septentrionales N. Franciæ regiones frustra deductas, nihil amplius succedentibus annis à Gallis in illis partibus tentatum fuit, donec demum anno cIo Io ciii *Petrus de Gua* Dominus *de Monts*, titulum viceregentis à Rege impetravit, in omnibus N. Franciæ provinciis, quæ inter quadragesimum & quadragesimum sextum gradum latitudinis septentrionalis continentur: & amplissimo diplomate ipsi soli concessum fuit Castorum & aliarum ferarum, pelles commutare, in provincia *Cadia*, insula *Britonum*, sinibus *Sante Clara* & *de chaleur*, *Isle Percee*, *Gachepe*, *Chichedec*, *Mesamichi*, *Lesquemin*, *Tadoufac* & ad utramque fluminis Canadensis ripam. Quibus impetratis & centum vigintri agricolis conductis, soluit è Gallia vii Aprilis anno cIo Io civ, & prospera navigatione usus, ad portum *Ovium* provinciæ *Cadiæ*, primum applicuit & suos in continentem exposuit: verum consilio mox mutato, ad Insulam *S. Crucis* se contulit in faucibus flu. *Estecheminorum*. Hic quum prima hyeme, è septuaginta novem colonis, triginta quinque variis morbis interiissent, & locus ob intensum frigus Gallicis corporibus incommodior videretur, anno cIo Io cv, mense Junio, novo supplemento è Gallia accepto (quum varia ante loca, atque omnem omnino oram usque ad portum *Malebarre* lustrasset) consultius ipsi visum coloniam ad portum *Regalem* traducere; & quum triginta suorum cum idoneo comœatu hic collocasset, in Galliam transfretavit.

1606. Dehinc anno cIo Io cvi, Dominus *de Poutrincourt* eodem cursum instituens, & australe *Cadiæ* littus legens, colonos à Montano in portu Regali destitutos, obvios habuit reditum in Galliam meditates, & haud invitos ad Coloniam reduxit. Hyems illo anno multo clementior fuit quam superioribus, minusque quam ante scorbuto laboratum. Primo vere omnis ora ad porrum usque *Malebarre* & ultra studiose ab ipsis observata, sub hyemem ad Coloniam redierunt. In gallia interim anno cIo Io cvii, diplo-

diplomate antiquato, & commercio pellium omnibus promiscue prostituto, *Montanus* impensis ferendis impar suos è Colonia Regali in Galliam reducere fuit coactus.

*Poutrincourtius* vero quum majori molimine, anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cx, novos colonos ad 1610. portum Regalem deduxisset & ædificia omnia integra reperisset, tectis solummodo collapsis; ad agros colendos & sementem faciendam primo animum adjecit; deinde multos barbarorum, licet leviter admodum principia religionis Christianæ edoctos baptizari curat; & inter primos principem illorum *Menbertöum* jam centesimum ut ferebant, annum ætatis egressum: quem Regis Galliarum nomine *Henricum* nominavit. His actis, *Poutrincourtius* filium suum sub initium autumnus in Franciam remisit; 10 Qui quum Regina viduæ (nam Rex paulo ante immani scelere trucidatus erat) singula prout in N. Francia gesta essent, ordine edisseruisset, Jesuitæ qui in aula degabant, inque illa plurimum poterant, obnixè à Regina contenderunt, ut quidam è suo ordine in N. Franciam ablegarentur, cum pensione annua duarum millium librarum, id sibi à Rege paulo ante promissum arguentes; & quum illud facile impetrassent, duos è suis elegerunt Petrum Byardum & Edmundum Masseum, qui illa legatione fungerentur: eosque Diepam miserunt, ubi navis à duobus mercatoribus, qui cum *Poutrincourtio* societatem inierant, parata in anchoris stabat: verum quum 20 hisce mercatoribus innotuisset, Jesuitas hosce ad hoc venisse ut navem suam conscenderent, acriter se opponere cœperunt, causati parricidium Regis nimis alte ad huc animis suis inhærere, neque se induci posse ut fortunas suas periclitarentur in colonia alenda, quæ in Hispani potestate quodammodo futura esset; se cujusvis alterius ordinis religiosos lubenter vecturos; Jesuitas vero nequaquam, nisi forte Regina placeret omnem sentinam simul exhaurire & universum ordinem simul in N. Franciam amandare; denique petere se, si Jesuitas hosce mittere omnino constituisset, sumtus in navem factos refunderet: Quum autem nullis rationibus ab hac sententia dimoverentur, consultum Regina visum ut duobus coronatorum millibus navem à mercatoribus redimerent: Jesuitæ itaque magna pecuniæ summa in hunc usum ab amicis & obnoxiiis impetrata, mercatores absolverunt, & cum *Poutrincourtii* filio societatem certis conditionibus iniverunt: Et Januario demum anni c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cxr sol- 1611. ventes, ipso Pentecostes festo ad Portum Regalem applicuerunt. Hic jam Jesuitæ ingenio suo usi, omnibus negotiis sese immiscere, etiam extra vocationis & muneris sui limites, & in barbarorum præsertim conversione tam imprudenter agere cœperunt, ut non levis discordia inter *Poutrincourtium* atque ipsos oriretur: quo in Galliam remeante ut Regina omnia plenius coram edoceret, filius in illius præfecturam successit, cui longe pejus cum Jesuitis convenit. Pater in Galliam reversus, quum antecedentibus damnis pene exhaustus, ad novos sumtus faciendos minime sufficeret, à Jesuitis persuaderetur ut Marchionissam *de Guerceville* potentem fœminam & societati supra modum addictam in partem admitteret: societate facta, *Gilbertus du Thet* ejusdem ordinis, ab illa quantocius in N. Franciam mittitur, *Poutrincourtio* 40 in Gallia remanente: Hic quum ad coloniam applicuisset cum sodalibus suis, tantam simultatem cum præfecto suscepit, ut ipsum excommunicaret, totique coloniarum factorum usum interdiceret: reditum tamen paulo post in gratiam & *Gilbertus* in Franciam remissus; ille prospera navigatione usus, nihil non movit, *Guercvillia* præsertim opera, ut *Poutrincourtium* plane excluderet, adeoque res illius conturbavit ut subsidium coloniarum submitti tempestive non posset & coloni illam hyemem in summa comætuum inopia misere traducerent. Jesuitæ autem, impetratis à Regina quidem quatuor tentoriis regalibus, largoque belli apparatu, à privatis vero variis donis, mense Martio anni c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cxiii novam expeditionem in N. Franciam susceperunt. Quumque in colonia portus Regalis neminem præter suos socios & 50 duos alios offendissent, illis assumtis, cursum ad fluvium Pentagoüet, ubi sedem figere destinaverant, flexerunt: Commodum ibi applicuerant, quum acriter cum accolis contendere cœperunt, quod ipsis in exitium vertit. Angli tum forte cum una navi, sub præfecto *Argallo*, ex Virginia ad hanc oram lustrandam venerant, id barbari sibi opportunum rati, præfectum per nuntios de Jesuitarum in suas terras adventu certiosem faciunt; qui nihil cunctatus statim cum suis advolat: *Gilbertus du Thet* inopinato illius adventu territus suos ad arma vocat & majorum tormentorum ictibus Anglos

Anglos submovere conatur, verum illi tanto impetu in Gallorum navem incubuerunt, ut facile illa potirentur, Gilberto & aliis tribus in ipso conflictu exanimatis & paucis graviter fauciatis; reliqui duo Jesuitæ cum multis aliis capti, pauci scaphæ beneficio se subdixerunt, Argallus primo navem cum captivis in Virginiam abduxit; & denuo ad fluvium hunc reversus, munimentum à Gallis inchoatum funditus evertit, & cruci quam erexerant, columnam cum insignibus Angliæ substituit: In insula itidem S. Crucis Gallorum opera subvertit & ad Portum regalem delatus, quum coloniam vacuam reperisset, Poutrincourtio, juniore tum absente, omnia ædificia demolitur, & locum in solitudinem redegit. Quod quum Poutrincourtius anno 1614. cIo Io cxiv ad hunc portum appellens deprehendisset, voti irritus & damna ab 10 Anglis accepta temeritati Jesuitarum imputans, in Galliam revertitur, ubi paulo post Regi suo militans occubuit. Atque hæc quidem à Gallis in Australi N. Franciæ parte gesta.

## C A P. XXII.

*Narratio eorum quæ à Gallis in Septentrionalibus N. Franciæ regionibus gesta sunt.*

**M**ontanus marchio cujus superiore capite meminimus, omiſſa australi N. Franciæ parte jam ab anno cIo Io cviii ad Septentrionalem animum 20 converterat; itaque impetrato à Rege privilegio *Champlanium* cum vicaria potestate ad magnum flumen Canadense mittit; hic quum primo portum Tadousac adiisset, & S. Malensium navibus ibidem inventis omni cum barbaris commercio interdixisset, adverso flumine ad promontorium *Quebec* ascendit, & locum habitacioni commodum nactus, castellum fossa valloque communit; ad altitudinem sex & quadraginta graduum & quadraginta scrupulorum. Triticum initio Octobris, secale medio satum, vites sub exitum dispositæ. Scorbuti lues mense Februario decem & octo colonos afflixit, quorum decem interierunt, uti alii quinque è dysenteria: Solum altis nivibus tectum fuit ad Calend. Apriles, nivibus tum primum liquescentibus. Quumque jam de viginti octo, qui hic hybernaverant, tantum octo, eique fere ægri, 30 supereſſent, mense Junio anni cIo Io cxix è Gallia opportune supervenit supplementum. Champlanius hoc accepto, cum Ochateguinis atque Algoumequinis, expeditionem suscipit in Yroquosios, & superato cataraete penetrat in eorundem Lacum, multisque barbarorum cæsis & paucis captis incolumis cum suis *Quebecum* revertitur, & relicto ibidem Chavino, qui ipso absente coloniæ præſet, in Galliam.

1610. Anno dein cIo Io cx rediens, quum colonos omnes incolumes & sanos reperisset, denuo cum barbaris confœderatis in Yroquosios movet, & magna strage edita, multisque in miseram captivitatem, ab inhumanis barbaris, abductis; ad coloniam primo, & mox, tantum septendecim ibidem relictis, in Galliam remeat. At anno 1611. cIo Io cxj jam tertio in hanc N. Franciæ partem redux, loco coloniæ collocandæ 40 idoneo juxta magnum *S. Ludovici* cataraeten designato, nondum tamen colonis eo deductis, reditum in Galliam maturavit. Nam quum ex variis Galliarum portibus naves promiscue, commutandarum pellium causa, magnum flumen adirent, non modo ipse nullum emolumentum ex hisce commerciis percipere poterat, sed & singuli grave damnum patiebantur. Champlanius dispendio prævertendum ratus, Regem permovit ut Comitem Sueſſionensem primo, mox & Principem Condæum hisce expeditionibus Patronum daret, ipsum vero illius vicarium constitueret. Qua dignitate auctus quartam navigationem in novam Franciam suscepit mense Aprili anno 1613. cIo Io cxiii, & prospera navigatione usus vii May *Quebecum* venit, & colonos suos incolumes reperit; suisque aliquantulum refocillatis expeditionem in mediterranea 50 suscipit, mendaciis cujusdam *Nicolai de Vignau* nimis temere fidem adhibens, qui se anno superiori à barbaris ad conspectum maris Borealis deductum constanter asseverabat, donec à barbaris & re ipsa mendacii coargueretur, à qua voti irritus ad coloniam primo & in Galliam paulo post est reversus. Sed deinceps quintam expeditionem suscepit anno cIo Io cxv ducens secum quatuor religiosos ex ordine Recollectorum, ut barbaros ad religionem Christianam amplectendam permoverent: xxv May

xxv May ventum Tadoufac, atque inde Quebecum & denique ad magnum Cataracten S. Ludovici, ubi multi barbari à variis provinciis convenerant. Eodem anno & expeditio in Yroquosios suscepta, cujus hic exitus fuit, ut uno hostium pago aliquandiu frustra expugnato, Champlanius duo vulnera acciperet & re infecta non sine magno discrimine ad suos reverteretur demum anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cxvi. mense 1616. Junio jam exeunte: & in Galliam mense Septembri. Postilla jam sextó è Gallia soluit mense Mayo, & Tadoufacum tenuit mense Junio, & sub finem Augusti rediit in Galliam. Hactenus res à Gallis in septentrionalibus N. Franciæ regionibus gestas, ex commentariis Champlanii retuli; quid porro ibidem actum, aut quid colonia hac factum sit, nondum potui indagare; nisi quod satis constet, hodieque illa loca à Gallis commerciorum gratia frequentari.

## C A P. XXIII.

De Nova Scotia è Diplomate Regis Magnæ Britannie  
VWilhelmo Alexandro Equiti indulto.

20 **A**Ntequam huic libro finem imponam, nequaquam silentio præterite possum, bonam Novæ Franciæ partem, quam supra *Cadiam* nominavimus, anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cxxi à Iacobo Magnæ Britanniæ Rege, titulo *Nova Scotiæ*, singulari diplomate D. Wilhelmo Alexandro Equiti concessam, quod post præfationem ita se habet.

Dedimus, concessimus & disposuimus, tenoreque præsentis chartæ, damus, concedimus & disponimus præfato D. Wilhelmo Alexandro, hæredibus suis vel assignatis quibuscunque, hæreditario omnes & singulas terras Continentis ac insulas situatas ac jacentes in America intra caput seu Promontorium communiter *Cap de Sable* appellatum, iacens prope latitudinem quadraginta trium graduum aut circa ab Æquinoctiali linea versus septentrionem; à quo promontorio secus littus maris tendentis ad Occidentem, ad stationem navium S. Mariæ (vulgo *Sainte Maryes Baye*) & deinceps versus septentrionem per directam lineam, introitum sive ostium magnæ illius stationis navium trajicientem, quæ excurrit in terræ Orientem plagam inter regiones Suriguorum & Echeminorum (vulgo *Souriquois* & *Etechemins*) ad fluvium vulgo *Sanctæ Crucis* appellatum: & ad scaturiginem remotissimam sive fontem ex Occidentali parte ejusdem, qui se primum prædicto flumini immiscet; unde per imaginariam directam lineam, quæ pergere per terram seu currere versus septentrionem concipietur, ad proximam navium stationem, fluvium vel scaturiginem in magno fluvio de Canada sese exonerantem: Et ab eo pergendo versus Orientem per maris oras littorales ejusdem fluvii de Canada, ad fluvium, stationem navium, portum aut littus communiter nomine de *Gachepe* & *Gaspe* notum & appellatum, & deinceps versus Euronotum ad insulas *Baculaos* vel *Cap Breton* vocatas, relinquendo easdem insulas à dextra & voraginem dicti magni fluvii de Canada sive magnæ stationis navium, & terras de *Nuuv-found-land* cum insulis ad easdem terras pertinentibus à sinistra, & deinceps ad Caput seu Promontorium de *Cap Briton* prædictum iacens prope latitudinem quadraginta quinque graduum aut eo circa: & à dicto promontorio de *Cap Briton* versus meridiem & Occidentem ad prædictum *Cap de Sable*, ubi incipit perambulatio includenda & comprehendenda intra prædictas maris oras littorales & earum circumferentias à mari ad omnes terras Continentis, cum fluminibus, torrentibus, sinibus, littoribus, insulis & maribus adjacentibus prope infra sex leucas ad aliquam earundem partem, ex Occidentali, boreali vel orientali partibus orarum littoralium & præcinctum earundem: Et ab Euronotho (ut jacet *Cap Briton*) & ex australi parte ejusdem ubi est *Cap de Sable* omnia maria ac insulas versus meridiem intra quadraginta leucas dictarum orarum littoralium earundem, magnam insulam vulgariter appellatam *Isle de Sable* vel *Sablou* includendo, jacentem versus Carban vulgo *Sout Southeast* circa triginta leucas à dicto *Cap Briton* in mari, & existentem in latitudine quadraginta quatuor graduum aut eo  
F circa.


circa. Quæ quidem terræ prædictæ omni tempore affuturo nomine *Nova Scotia* in America gaudebunt. Quas etiam præfatas D. Wilhelmus in partes & portiones sicut ei visum fuerit, dividet, eisdemque nomina pro beneplacito imponet. Una cum omnibus fodinis tam regalibus auri & argenti, quam aliis fodinis ferri, plumbi, cupri, stanni, æris, &c.

1622. Haftenus ipsius diplomatis verba, prout concepta erant, fideliter expressimus, quibus limites *Nova Scotia* in America comprehenduntur. D. Wilhelmus Alexander statim anno c10 10 c xxii navem misit cum aliquot colonis ad locum habitati-  
 1623. oni idoneum pervestigandum; qui paulo serius profecti, in Terræ novæ portu vulgo *S. Iehans port*, hybernarunt & anno demum c10 10 cxxiii, australe hujus insulæ la-  
 tus prætervecti primo portum subierunt, Gallis jam ante *Port au Mouton* appellatum, ipsi *S. Lukas baye* dixerunt; deinde duas leucas provecti alterum, quem *Iolly port* ap-  
 pellarunt; denique ad portum nigrum, duodecim ab hoc leucis, profecti, vela verte-  
 runt & primum ad Terram novam, deinde in Angliam remearunt. Quid post illa in illis partibus gestum sit, mihi non constat: nisi quod nomina harum provinciarum à *Wilhelmo Alexandro* mutata inveni, in tabula Geographica nuper in Anglia excu-  
 sa, in qua Peninsula *Cadia*, *Nova Calidonia*, septentrionalis pars, qua *Gaspé* spectat, *Nova Alexandria* nominatur, atque alia loca ad eundem modum novis nominibus insigniuntur. Haftenus de Nova Francia.










NOVA ANGLIA,  
NOVVM BELGIVM  
ET VIRGINIA.

NOVA FRANCIAE PARS

VIRGI

NIA

Milliaria Germanica  
10 20 30 40 50 60



Bermuda majori mole expressa.

6. Millia.

